De

Iulii Pollucis

in publicis Atheniensium antiquitatibus enarrandis

auctoritate

scripsit

Fedor v. Stojentin
Dr. phil.

Vratislaviae 1875
Venumdat libraria Leuckartiana
(A. Clar)

Augusto Reifferscheid

sacrum

Octavum Pollucis librum cum rerum gravitate tum testimoniorum amplitudine reliquos facile superare iam dudum a viris doctis intellectum est. tamen, qui non hac vel illa occasione data, inprimis ad certum aliquem antiquitatum Graecarum locum enucleandum in ipsos fontes inquireret, sed de industria, nihil aliud respiciens, hanc quaestionem institueret, usque ad hunc diem nondum quisquam exstitit. quae cum ita sint, minime mirum videri potest, quod diversissimae opiniones de usu et auctoritate huius libelli ferebantur semper atque etiamnunc feruntur. in causa vero fuisse opinor non magis taedium paene solos grammaticos iterum atque iterum evolvendi quam ipsum laborem ut antiquitatis studiis utilissimum ita ipsi in hac re elaboranti operosissimum. id enim persuasum habeas, si quis ad hoc vel illud Pollucis testimonium reliquos de eadem re locos in recentiorum libris citatos — multa hi praetermiserunt, utpote quae nihil ad res accuratius pernoscendas conferrent — cum Polluce contulerit, raro ei prospere rem processuram esse. sed perlustranda erant ac perpetuo inter se diligenter comparanda tantum non omnia, quae aetatem tulerunt, lexica et magnus scholiorum numerus, ut, quae grammaticorum coniunctio sit et quasi necessitudo, recte perspiciatur. ita quaestio est difficillima, ubi scholiastae Aeschinis et Platonis cum Polluce consentiunt, utrum ex hoc sua descripserint — saepius hoc factum esse constat — an ex iisdem quibus Pollux fontibus derivaverint — etiam hoc compluribus locis certum est. his ego singulis locis, ubi non opus esse videbatur, argumenta

mea non apposui, sed satis habui rem ita protulisse, ut mihi accurate examinanti probabilius videbatur.

Illud quod supra tetigi officium et totam quaestionem pro virili parte sum exsecutus. quod autem attinet ad libros per proxima tria saecula de antiquitatibus Graecis conscriptos, vetustiorum opiniones, quas paene semper falsas fuisse constat, indagare et refellere vix opus erat. alia via ingredienda erat de recentioribus, sed hic quoque modum adhibere coactus eram. quotquot enim Atticas antiquitates vel totas comprehenderunt vel in maiore earum parte elaboraverunt vel etiam in minuta, in horum scriptis omnibus Pollux citatur, in plerisque de veritate testimoniorum disseritur, in multis de singulorum locorum fontibus disputatur. attamen haec omnia legere nec in animo erat, nec si voluissem — nam etiam intra fines a me ipso mihi propositos multos libros frustra circumspexi, id quod hic semel tetigisse satis sit — omnino potuissem, nec quisquam hoc a me postulabit. quare veniam me impetraturum esse spero, si qua ab aliis rectius disputata neglexero vel si, quae ab aliis iam reperta erant, ut mea protulero. quamquam horum numerum non nimis amplum fore crediderim. et profecto multi in Polluce et interpretando et emendando cum laude versati sunt, quorum nomina, cum in omnium ore sint, quid opus est enumerare? tamen in ea ipsa, quam hic instituturus sum, quaestione unus omnium optime de octavo Pollucis libro meritus est, quamvis ad diversum finem tendat, Valentinus Rose, ad cuius Aristotelem Pseudepigraphum (Lipsiae 1863) eius nomen, quotienscumque per hunc libellum invenies laudatum, referas. nihilosetius, si recentissimorum scripta percurro, quod ad Pollucem attinet, videtur frustra scripsisse. multa me huic viro sagacissimo rerumque Pollucearum mirum quantum perito accepta referre non est quod moneam. ceterum persaepe res ita est comparata, ut cuilibet, qui quidem rationis a grammaticis Graecis inde ab Augusti temporibus observatae non ignarus sit et singula lexicographorum atque scholiastarum testimonia accuratius inter se comparaverit, non ita difficulter, unde quaeque manaverint, appareat. talibus in rebus quod Rosei observationes a meis non differentes semper commemorare supersederim, nemo mihi vitio vertet. nuper duo exstiterunt, qui

id ipsum, ut Pollucis fontes indagarent, solum agerent: Ervinus Rohde [1]) et Ernestus Althaus [2]). sed cum uterque in octavum librum accuratius non inquisiverit, alterum sufficiat hic commemorasse, alterius de huius libri fonte suspicionem infra examinabimus.

Est autem octavi libri, si cum reliquis comparamus, revera ea condicio, quam in principio tetigi. habet etiam hic liber satis magnas synonymorum et epithetorum collectiones, habet etiam multas breviores expositiones inter se aut non cohaerentes aut leviter tantum: his igitur in rebus a ceteris totius operis partibus non differt. differt autem et facile eas omnes vincit numero rerum fusius uberiusque tractatarum. deinde hoc libro non ut plerisque reliquis diversa rerum genera et quae communitatis plane nihil habeant, continentur neque illa solo scriptoris arbitrio coniunguntur, sed perpetuitas quaedam et continuatio perspicitur aptumque vinculum omnia complectitur. noli vero inde quidquam de fontium vel fontis natura praepropere concludere. fuit enim Pollux, ut rhetor non ignobilis, si ullius materiae tum certe eius, cui in octavo libro operam navavit, minime imperitus atque, etiamsi singularum rerum accuratiorem scientiam haud dubie nullam habebat — quis enim hoc credat de homine, quem scribae magis quam scriptoris munere fungi videbimus — tamen, quae res in universum huc pertinerent et hoc libro declarandae essent, certe non ignorabat. manifeste autem octavus liber in duas partes discedit: prior (§ 6—81) continet iuridicas, quas vocant, Atheniensium antiquitates, posterior (§ 82—157) publicas. inquisivi equidem in totum librum, sed cum intellegerem quaestionem de priore parte ob reliquorum veterum hac in re subsidiorum naturam multo difficiliorem esse, quam de posteriore: nunc hanc solam litteris mandare et in hac elaboranda vires corroborare malui. inquisivi etiam diligenter in meras vocabulorum enumerationes, sed perspexi non magnum inde nos fructum capturos esse, et pauca illa, quae

[1]) De Iulii Pollucis in apparatu scaenico enarrando fontibus. Lipsiae 1870.

[2]) Quaestionum de Iulii Pollucis fontibus specimen. Berolini 1874.

operae pretium est proferre, commodius, ubi de toto libro egerim, exponentur.

Rem ipsam ita institui, ut non solum, quem Pollux ipse adhibuerit fontem, quaererem, sed etiam, ex quibus primis auctoribus singula Pollucea manaverint et, si opus videbatur, quomodo fluxerint. nam quid attinet scire, quis Pollucis auctor fuerit, nisi simul comperimus, quanta fide illo usus sit, et quos ille ipse sit secutus? est enim ea grammaticorum Graecorum, qui ad nos pervenerunt, indoles atque natura, ut ipsis paene nihil tribuamus, solos fontes requiramus. sane saepissime eam, quam instituendam esse censebam, quaestionem frustra solvere studebimus, in hac tamen Pollucis parte reliquorum grammaticorum copiis sat magnis, imprimis praeclarissimo Harpocrationis lexico, egregie adiuvamur. nihilominus hic quoque non pauca restant, de quorum auctore tantum suspicari licet, interdum ne id quidem. nam vehementer est dolendum, quod nullus scriptor usque ad nostram aetatem pervenit, qui ut Pollux res uno tenore exponeret; ne Athenaei quidem thesauris adiuvamur, ut qui per totum suum opus plane diversa secutus sit. etenim Michaelis Pselli[3]) opusculum *πρὸς τοὺς μαθητὰς περὶ τῶν ὀνομάτων τῶν δικῶν* inscriptum vix est commemoratione dignum. ubicumque igitur de auctore loci cuiusdam nihil poteram indagare, comparavi saltem Pollucem cum reliquis grammaticis, quo melius, quae eius fides, qui totius libri fons, quae cum ceteris coniunctio sit, possit intellegi. itaque universam quaestionem in duo capita divisi: primo ea studui praestare, quae modo certis finibus circumscripsi, secundo de proximo ipsius Pollucis fonte disseram.

Qui adhuc de singulorum locorum auctoritate disputaverunt, plerique in ea re erraverunt, quod ex altero Pollucis loco de altero se aliquid colligere posse sibi persuaserant. itaque fuerunt olim, qui, cum complura ex Aristotelis[4])

---

[3]) ed. Boissonade. Norimbergae 1838 p. 95—110.

[4]) etiam politiarum opus Rose Aristoteli abiudicavit. contra eum doctissime disputavit E. Heitz (Die verlorenen Schriften des Aristoteles. Leipzig 1865): sed, si quis omnino de Aristotele huius libri auctore dubitaverit, ei non videbitur rem ad liquidum perduxisse. et est revera saepe facilius aliquid negare, difficilius idem asseveratum contra negantem

πολιτείᾳ Ἀθηναίων fluxisse animadvertissent, paene totum librum huic deberi non dubitarunt in animum inducere. nonnulli videbant Pollucem uno loco Crateri ψηφισμάτων συναγωγήν laudare, quare probabile duxerunt, si quod aliud testimonium a tali opere non alienum videbatur, ibi quoque Craterum tacite exscribi. alii illis non prudentiores, postquam quaedam a Polluce falso tradi intellexerunt, etiam reliquis locis omnem huic scriptori fidem abrogandam esse censuerunt. quae ratio in historico fortasse non immerito adhibetur, in Polluce nihil ea perversius potest cogitari. deinde haud pauci peccaverunt, quod Pollucem ea, quae antea exposuerat, modo recte modo falso, prout ipsorum consiliis commodum erat, respexisse arbitrabantur. at evolvit tantum auctorem suum Pollux et aut descripsit aut excerpsit, nihil aliud fecit. an putas eum sui ipsius memorem fuisse, qui § 17 protulit καδίσκος, κημός, κιγκλίς, eadem repetiit § 123 sq., qui διαψήφισιν declarat § 19, iterat § 64? cf. etiam § 64 et 129, § 74 sq. et 133 sq., § 123 τὸ δὲ δικαστήριον κ. τ. λ. et 141, etc. neque alia ratio est in ceteris libris: rarissime lectorem ad priorem operis partem relegat neque id nisi in vocum enumerationibus (cf. III 96, IX, 25 etc.). sed saepe diversis locis plane idem argumentum tractat, non tamen eodem modo: στρατηγοί I 128 et VIII 114, τάφος III 102 et VIII 146, κήρυκες IV 91 sqq. et VIII 137 sqq., βλάβη V 135 et VIII 147, σκεύη δικαστικά VIII 16 et X 61. sed quid plura? mox unusquisque mihi assentietur. itaque tandem aliquando desinant, ubi in Pollucis opere de eadem re duo varia testimonia proferuntur, haec, si sibi non repugnant, ad eundem auctorem referre, si alterum alteri adversatur, hanc inconstantiam ipsi Polluci tribuere atque inde de utriusque testimonii veritate dubitare.

---

demonstrare. quamquam equidem facere non possum, quin cum Heitzio vulgatam opinionem sequar. iam vero si Rose politias quasi opponat divinis philosophi operibus, eum satis mirari nequeo. nam fuit illud opus profecto divinum et summo viro dignum. sed utut illud est, certe dubitari nequit, quin politiarum auctor vir fuerit, quo nemo fide dignior sit in republica Atheniensium describenda quique pressa elocutione atque luculenta usus sit.

Quibus expositis ad singula accedamus. id tantum nunc addam, ubicunque simpliciter Pollucem nomino, ne quis credat, ibi me semper ipsum hunc scriptorem intellegere. brevitatis causa nolui identidem repetere „Pollux vel eius auctor“ aut etiam „Pollux vel eius auctor vel huius demum fons“. nam ita quoque interdum res est comparata, ut Pollucea vix aliter atque coniuncta complurium opera e vetustis scriptoribus depravari potuisse videantur. sed quia ii perierunt, qui medii inter ipsos, quos exscripsit, auctores et Pollucem intercesserint, quid quisque commiserit, plerumque accuratius definiri nequit. neque illud hic omittendum puto, quod eos lexicographorum locos commemorare supersedi, quos ex auctoribus ad nostram usque aetatem servatis descriptos esse inter omnes constat.

Caput I

§ 85—91

Praeclare de tota hac parte exposuit Rose p. 426 sq., cuius paene singulis verbis subscribo. inde ea, quae maxime ad Pollucem faciunt, libet apponere. „archontum Atticorum munerumque, quae et omnium essent communiter et singulorum recensionem, qua apud Pollucem excursus ille introducitur de magistratibus Atticis, eam uni Aristoteli deberi totam, licet ita ab auctore quo Pollux usus est [vel ab ipso Polluce] in brevius contractam ut praeter alia causarum definitiones ab Aristotele additae omissae sint, id si lexicographorum verba passim consimilia atque eodem rerum ordine prolata maximeque Harpocrationem comparaveris, qui Didymum fere sequitur, facile concesseris". atque optime in hac re probanda Rose munere suo functus est. nihilominus, ne quid deesse videatur huic libello, cuius propositum est Polluceas copias ad suum quamque auctorem quam fieri potest certissime referre et cum etiamnunc sunt, qui nihil hac de re comperuisse videantur, ipse quoque reliquorum grammaticorum testimonia, quae quidem maioris momenti sint ad illam opinionem stabiliendam, Pollucis ordinem secutus afferam et, si qua praeterea habebo ad delineandam rationem in exscribendis Aristotelis thesauris a Polluce observatam, haec addam.

Mirum in modum orditur Pollux: *ἀρχόντων τῶν Ἀθήνησιν ὀνόματα οἱ ἐννέα ἄρχοντες.* noli enim putare *ἀρχόντων* (vocabulum in principio exstans dico) notionem hic latius patere, ut generatim magistratus significet, et hoc enuntiatum quasi prooemium esse insequentis magistratuum Atticorum recensionis, cuius partem primam efficiant *οἱ ἐννέα ἄρχοντες.* sed mera est *ταυτολογία.* similiter, quamquam ibi non plane

eadem ratio est, scripsit Hesych., apud quem nil nisi haec leguntur: *ἐννέα ἄρχοντες: ἀρχὴ διὰ ἐννέα ἀρχόντων.*

Iam Aristotelis fragmenta apponam:

lex. Cantabrig. *θεσμοθετῶν ἀνάκρισις: κατ' Ἀριστοτέλην οἱ θεσμοθέται εἰσὶν ἐκ τῶν ἐννέα ἀρχόντων, αὐτοὶ ἓξ ὄντες· οἱ δὲ λαχόντες ὑπὸ τῆς βουλῆς τῶν πεντακοσίων καὶ τοῦ δικαστηρίου δοκιμάζονται πλὴν τοῦ γραμματέως, ἐρωτώμενοι τίνες αὐτῶν πατέρες, ὁμοίως καὶ δήμων τίνων εἰσὶ καὶ εἰ ἔστιν αὐτοῖς Ἀπόλλων πατρῷος καὶ Ζεὺς ἕρκειος καὶ εἰ τοὺς γονέας εὖ ποιοῦσι καὶ εἰ τὰ τέλη τελοῦσι καὶ εἰ τὰς ὑπὲρ τῆς πατρίδος στρατείας ἐστρατεύσαντο· πάντα οὖν ἀνάκρισιν εὐλόγως ὠνόμασαν.*

Harpocrat. *λίθος: . . . ἐοίκασι δ' Ἀθηναῖοι πρός τινι λίθῳ τοὺς ὅρκους ποιεῖσθαι, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ καὶ Φιλόχορος ἐν τῷ γ' ὑποσημαίνουσιν.*[5])

excerpta Heraclidis 11 *εἰσὶ δὲ καὶ ἐννέα ἄρχοντες †θεσμοθετικοὶ καὶ οἱ δοκιμασθέντες ὀμνύουσι δικαίως ἄρξειν καὶ δῶρα μὴ λήψεσθαι ἢ ἀνδριάντα χρυσοῦν ἀναθήσειν.*[6])

e reliquis confer schol. Aeschin. I 19 . . . *οἱ γὰρ ἐννέα ἄρχοντες στέφανον ἐφόρουν μυρρίνης.* cf. Phot. v. *μύρρινος*, schol. Arist. Equit. 964, Hesych. v. *μυρρινῶν.*

schol. Arist. Vesp. 775 *ἐπειδὴ θεσμοθέται καὶ δέκατος ὁ γραμματεὺς κληροῦσι τοὺς δικαστὰς τοὺς τῆς αὐτῆς φυλῆς ἕκαστος.*

In initio multo accuratiorem videmus lexicographum Cantabrigiensem, cum abrupte scripserit Pollux *ἐκαλεῖτο δέ τις θεσμοθετῶν ἀνάκρισις* et infra tantum *ἐπηρώτα δὲ ἡ βουλή*, ubi maiore interpunctione Bekkero erat distinguendum. sed multo gravius est, quod *τίνες αὐτῶν πατέρες, ὁμοίως καὶ δήμων τίνων εἰσὶ . . . καὶ εἰ τὰ τέλη τελοῦσι* lex. Cant. habet, Pollux *εἰ Ἀθηναῖοί εἰσιν ἑκατέρωθεν ἐκ τριγονίας καὶ τὸν δῆμον πόθεν . . . καὶ εἰ τὸ τίμημα ἔστιν αὐτοῖς.* scimus enim post Aristidem magistratus non iam certi census fuisse posteaque (sed ante Aristotelem) iam ei, cuius pater civis Atheniensis

---

[5]) haec enim, quae generatim de quolibet cive protulisse videtur Harpocr., nunc bene ad archontes pertinere statuerunt.

[6]) quidquid de huius farraginis origine iudicamus, hoc certum est permulta ex Aristotele fluxisse, quibus sine dubio etiam fragmentum supra appositum est adnumerandum.

fuerit, magistratum inire licuisse. uter igitur auctor nobis verum Aristotelem offert? pro Polluce et adversus Roseum haec monuerim: primum, quocunque modo interpretemur, certe in lex. Cant. quoque *τὰ τέλη* restare. deinde *ἑκατέρωθεν ἐκ τριγονίας* terminum, qui dicitur, technicum esse videri itemque elocutionem *τὸν δῆμον πόθεν*[7]) ius Atticum sapere. tum praesentis temporis usum nihil ad augendam lexici Cant. auctoritatem, praeteriti nihil ad minuendam Pollucis valere, cum nos quoque etiam ad prioris aevi instituta describenda facile praesenti tempore uti possimus. denique quaecunque ille ad *τέλος* (vel *τίμημα*) aut declarandum aut excusandum afferat, etiam ad Pollucea adhiberi posse. sed nihilominus lex. Cant. vere Aristotelia habere, Pollucem immutata mihi verisimile est ob ea, quae in fine huius opusculi exponam, ubi talis rei diiudicandae potestas erit. ceterum quod Rose Poll. III 17 *τάχα δ' ἂν τοῦτον* (scil. proavum) *τριτοπάτορα Ἀριστοτέλης καλοῖ* ad hunc locum attinere voluit, si verum esset, tertiam vel certe alteram de eadem re Aristoteliam phrasin ideoque novam adderet difficultatem. sed vereor, ut recte fecerit, cum ceteri in elocutione *ἐκ τριγονίας* (verius, ut equidem arbitror) ita intellegenda consentiant, ut praeter parentes avi tantum significentur. — verba *καὶ ἱππάρχους — ταξιάρχους δέκα* apud Pollucem in alienum locum migrasse monuit Rose: scilicet post *ἁπάντων* inserenda sunt.[8])

---

[7]) vel potius *τῶν δήμων πόθεν*? ut apud Pollucem legendum esse Sintenisium (ad Plutarch. Themistocl. c. 1. Lipsiae 1832) censere alicubi legi.

[8]) C. Kubicki (de magistratu decem strategorum etc. Berolini 1865 p. 38—40) totum hunc locum (§ 85—87) turbulenter ingressus illud *ἐξ ἁπάντων* aut falsum aut corruptum esse censuit negans ex omnibus civibus promiscue strategos creatos esse. sed quod ille negaverat, idoneis argumentis demonstravit I. G. Droysen (Hermes IX p. 1 sqq.) more non lege plerumque tribuum rationem habitam esse docens, cautiusque illo, quamquam non recte, de Polluce iudicavit. bene enim suspicatus est verba in textu posita transponenda esse (ignorans hoc iam Roseum protulisse), sed minus recte addit posse illa etiam glossema esse. neque magis ei assentior, quod Roseo etiam hunc de militum ducibus locum Aristotelis esse volenti non credidit. postremo quam falso censuerit verba *ἐξ ἁπάντων* post *ἱππάρχους δύο* ponenda esse (ibi enim illa suum locum tenere) et pro iis numerum in Polluce desiderari, demum in secundo capite videre poterimus.

ἰδίᾳ οἱ θεσμοθέται.

Harp. *θεσμοθέται*: ... *ὁ δὲ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ διέρχεται ὅσα οὗτοι πράττουσιν.*

Harp. vel lex. Cant.[9]) *παράστασις*: ... *Ἀριστοτέλης δ' ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ περὶ τῶν θεσμοθετῶν λέγων φησὶν οὕτως· „εἰσὶ δὲ γραφαὶ πρὸς αὐτούς, ὧν παράστασις τίθεται, ξενίας* (lex. Cant. v. *ξενίας* addit *ἐάν τις κατηγορῆται ξένος εἶναι*) *καὶ δωροξενίας, ἄν τις δῶρα δοὺς ἀποφύγῃ τὴν ξενίαν, καὶ ψευδεγγραφῆς καὶ ψευδοκλητείας καὶ βουλεύσεως καὶ ἀγραφίου καὶ μοιχείας".*

recte Rose p. 430 huc etiam rettulit lex. Bekk. p. 436, 1 *ἀπὸ συμβόλων δικάζει: Ἀθηναῖοι ἀπὸ συμβόλων ἐδίκαζον τοῖς ὑπηκόοις. οὕτως Ἀριστοτέλης.*

praeterea cf. Phot. *θεσμοθέται: ἀρχὴ Ἀθήνησιν ἀνδρῶν ἕξ, οἳ τὴν τῶν νόμων ἐπιμέλειαν ἐποιοῦντο καὶ τὰς εἰσαγγελίας εἰσήγγελλον εἰς τὸν δῆμον καὶ τὰς χειροτονίας καὶ τὰς προβολὰς ἁπάσας καὶ γραφὰς παρανόμων· καὶ ἦσαν διορθωταὶ τῶν νόμων.* adde schol. Dem. XXIV 20.

Harp. *ἡγεμονία δικαστηρίου*[10]): ... *πρὸς δὲ τοὺς θεσμοθέτας* (scil. *ἐλαγχάνοντο δίκαι) αἱ τῆς ξενίας τε καὶ δωροξενίας καὶ συκοφαντίας*[11]) *καὶ δώρων καὶ ψευδεγγραφῆς καὶ ὕβρεως καὶ μοιχείας καὶ βουλεύσεως καὶ ἄλλων.*

In verbis *καὶ εἴ τις μὴ ἐπιτήδειον νόμον γράψειεν* apud Pollucem quoque reliquias earum, quas de singulis causis inseruerat Aristoteles, definitionum deprehendisse mihi videor. constat enim *παρανόμων γραφήν* etiam ad *ἀνεπιτήδειον νόμον* pertinuisse. itaque vox *καί* indicio nobis esse potest ante eam aliqua omissa esse, quae varii argumenti esse poterant[12]).

---

[9]) pravo iudicio haec glossa in textu lexici Cant. ab editoribus omittitur.

[10]) totam hanc glossam ex Aristoteliis compositam esse facile apparet.

[11]) unde mihi ea nata esse videntur, quae in Aristotelis verbis legimus apud Harp. *δωροξενία*: ... *καὶ Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ* ... *καὶ δωροξενίας, ἄν τις δῶρα δοὺς ἀποφύγοι τὴν συκοφαντίαν* pro *τὴν ξενίαν, καὶ συκοφαντίας.* quare neque cum Dindorfio ad Harp. l. l. simpliciter *συκοφαντίαν* pro *ξενίαν* ab Harp. errore positum esse neque cum Sauppio ad Hyperid. frgm. 24 (Orat. Att.) ex epitome illatum crediderim. nescio an eadem ratus sit Rose p. 430.

[12]) vid. amplissimam recensionem apud Meierum Att. Proc. p. 284.

— e Polluce descriptum est schol. Aeschin. I 16, fortasse etiam schol. Platon. Phaedr. 235 D.

ὁ ἄρχων.

lex. Cant. εἰς δατητῶν [αἵρεσιν]: . . . ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ „δίκαι λαγχάνονται πρὸς τὸν ἄρχοντα ἀλλ' εἴ τις[13]) καὶ εἰς δατητῶν αἵρεσιν, ὅταν τις μὴ θέλῃ κοινὰ τὰ ὄντα νέμεσθαι". cf. Harp. v. δατεῖσθαι.

e reliquis cf. lex. Cant. ἐπώνυμος ἄρχων: ἐφ' οὗ ἡ πόλις χρηματίζει· ἔχει δ' ἐπιμέλειαν χορηγοὺς καταστῆσαι εἰς Διονύσια καὶ Θαργήλια. ἐπιμελεῖται δὲ καὶ τῶν εἰς Δῆλον καὶ τῶν ἀλλαχόσε πεμπομένων Ἀθήνηθεν θεωριῶν· λαγχάνονται δὲ πρὸς αὐτὸν καὶ γραφαί, καὶ δίκας εἰς τὸ δικαστήριον εἰσάγει.

lex. Bekk. 309, 33 τίνες ποίων δικαστηρίων εἶχον τὴν ἡγεμονίαν: πρὸς τὸν ἄρχοντα κακώσεως ἐλαγχάνον[το] γραφαὶ καὶ (αἱ) τῶν γονέων, εἰ τούτους τις αἰτίαν ἔχοι κακοῦν, καὶ τῶν ὀρφανῶν· ἔτι δὲ παρανοίας καὶ ἀργίας ἐπιδικασίαι καὶ [κλήρων καὶ add. Meier] ἐπικλήρων γυναικῶν. ἁπάσας ταύτας ἦγεν ὁ ἄρχων εἰς τὸ δικαστήριον ἡγεμονίαν αὐτῶν ἔχων. adde Phot. ἡγεμονία δικαστ., Harp. s. ead. v., lex. Bekk. 199, 9 ἄρχων: ὁ τὴν ἐπώνυμον ἄρχων ἀρχήν, ἀφ' οὗ καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἐμετρεῖτο. ἦν δὲ εἷς τῶν ἐννέα. εἰσήγοντο δ' ἐν αὐτῷ δίκαι ἐπικλήρων καὶ ὀρφανῶν καὶ τῶν τοκέων.

cf. etiam legem ap. Dem. XLIII 75.

Vides praeter alia a Polluce etiam causas quasdam omitti, quibus adde εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν (Harp. v. εἰς ἐμφ. καταστ. . . . ὁ δὲ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ πρὸς τὸν ἄρχοντά φησι λαγχάνεσθαι ταύτην τὴν δίκην) et σίτου (quam Aristotelem ab Harp. s. v. citatum hic exposuisse verisimile est).

---

[13]) sic codex. Meier ἄλλαι τινές emendavit, Houtsma ἄλλαι τε, nescio an neuter recte. lexicographus enim ipse sic scribere poterat, non Aristoteles, quem disserentem inducit. itaque illius esse statuit Rose. sed semper satis fide Aristotelis verba servavit huius glossarii auctor, interdum etiam plenius, quam Harpocr. reliquique omnes, scatet autem lacunis corruptelisque omnis generis. propterea etiam hoc loco vestigia Aristoteliae explicationis verbis εἴ τις (cf. Poll. § 88 init.) apparentia non obruerim. cum vero e Polluce cognoscamus praecessisse apud Aristotelem causam παρανοίας, ita fere ille exorsus sit declarare: ἀλλοφρονῶν εἴ τις . . .

ὁ βασιλεύς.

Harp. ἐπιμελητὴς τῶν μυστηρίων: ... Ἀριστοτέλης δ' ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησὶν οὕτως „ὁ δὲ βασιλεὺς πρῶτον μὲν τῶν μυστηρίων ἐπιμελεῖται μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν, οὓς ὁ δῆμος χειροτονεῖ, β' μὲν ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων, ἕνα δ' ἐξ Εὐμολπιδῶν, ἕνα δ' ἐκ Κηρύκων". adde Harp. v. βασιλικὴ διαδρομή.

e reliquis cf. lex. Bekk. 219, 14 βασιλεύς: βασιλεύς ἐστιν εἷς τῶν ἐννέα ἀρχόντων. ὁ δὲ βασιλεὺς μυστηρίων ἐπιμελεῖται μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν, οὓς ὁ δῆμος ἐχειροτόνησε. γραφαὶ δὲ λαγχάνονται πρὸς αὐτὸν ἀσεβείας. καὶ ἄν τις ἱερωσύνης ἀμφισβητήσῃ, προστιμᾷ. διαδικάζει δὲ καὶ τοῖς γένεσι καὶ τοῖς ἱερεῦσι τὰς ἀμφισβητήσεις τὰς ὑπὲρ τῶν γερῶν. λαγχάνονται δὲ καὶ αἱ τοῦ φόνου δίκαι πᾶσαι πρὸς τοῦτον.

lex. Bekk. 309, 33 τίνες ποίων δικαστηρίων εἶχον τὴν ἡγεμονίαν: ... ὁ βασιλεὺς εἰσάγει τὰς φονικὰς ἁπάσας, ἐπεὶ καὶ προαγορεύει τὸν ἀνδροφόνον εἴργεσθαι τῶν νομ[ίμ]ων καὶ περὶ τῶν ἱερῶν καὶ τοῖς γένεσι δικάζει ... adde Phot. v. ἡγεμονία δικαστηρίου.

Pollucem exscripsit schol. Plat. Euthyphr. p. 2 A[14]).

ὁ πολέμαρχος.

Harp. πολέμαρχος: ... Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ διεξελθὼν ὅσα διοικεῖ ὁ πολέμαρχος „πρὸς ταῦτά" φησιν „αὐτός τε εἰσάγει δίκας τάς τε τοῦ ἀποστασίου καὶ ἀπροστασίου καὶ κλήρων καὶ ἐπικλήρων τοῖς μετοίκοις, καὶ ἄλλα ὅσα τοῖς πολίταις ὁ ἄρχων, ταῦτα τοῖς μετοίκοις ὁ πολέμαρχος". ...

cf. etiam lex Bekk. 290, 27 πολέμαρχος: ἄρχων ἐστὶν Ἀθήνησι τῶν ἐννέα ἀρχόντων. καὶ τῷ Ἐνυαλίῳ διατίθησι τὸν ἀγῶνα τὸν ἐπιτάφιον.[15])

apud Pollucem ξένων ante προξένων inserit Meier (Att. Proc. p. 52 not. 71) itemque ἐπικλήρων post κλήρων. sed quod in alio scriptore sine ulla dubitatione ut certissimam emendationem acciperemus, eidem in tam neglegenti epitomatore

[14]) num ex eodem etiam schol. Plat. Phaedr. 235 D ὁ δὲ βασιλεὺς μυστηρίων προνοεῖται καὶ τὰς θυσίας τὰς πατρίους διοικεῖ descriptum est? sed ut scholiasta προνοεῖται, ita Hesych. προνοῶν, cum Pollux προέστηκε.

[15]) hoc contractum esse ex [θύει μὲν] Ἐνυαλίῳ, διατίθησι [δὲ] docuit Aug. Mommsen Heortologie, Leipzig 1864, p. 281 not.

ne probabilitatem quidem possumus assignare. ceterum in fine Pollucei loci aliquid corruptum esse patet, cf. cap. II.

His singillatim expositis si quaeritur, utrum Aristoteles ipse eo ordine, quo Pollux, usus sit an alio, e. g. eo quem nostri aevi homines observare solent, certum responsum dare nequeo, cum ne grammatici quidem ea in re conspirent.[16]) illud unusquisque intellexerit verissime dicta esse verba Rosei supra allata. itaque ii, qui quaedam falsa per has paragraphos tradi contenderunt, videant, num recte fecerint. quod autem Philippi (Beiträge zu einer Geschichte des attischen Bürgerrechts, Berlin 1870, p. 109) ad § 85 sq. profert: „so mag Pollux altes und neues durcheinander mischen, als habe es gleichzeitig bestanden", id nego; immo contendo, etiamsi universum de archontibus locum spectamus, nulla inesse, quae uno tempore non exstitisse compertum habeamus.

§ 92

Haec usque ad *δικαστηρίῳ* ex Aristotele fluxisse concedes, si cum Harp. comparaveris, ubi partim pleniora partim contractiora quam apud Pollucem leguntur: *πάρεδρος*: ... *Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησὶ „λαμβάνουσι δὲ καὶ παρέδρους ὅ τε ἄρχων καὶ ὁ πολέμαρχος, δύο ἑκάτερος, οὓς ἂν βούληται. καὶ οὗτοι δοκιμάζονται ἐν τῷ δικαστηρίῳ πρὶν παρεδρεύειν, καὶ εὐθύνας διδόασιν ἐπὰν παρεδρεύ[σ]ωσιν"*. sed etiam verba *προσαιροῦνται δὲ καὶ γραμματέα, ὃς ἐννόμῳ* (vel potius *ἐν μόνῳ*[17]) *δικαστηρίῳ κρίνεται* cum Roseo Aristoteli tribuere non dubito; cf. lex. Cant. v. *θεσμοθετῶν ἀνάκρισις* init.

§ 93

Peculiarem quendam magistratum Athenis exstitisse, cui *εἰσαγωγεῖς* nomen fuerit, verissime negavit Meier (Att. Proc.

---

[16]) Pollucis ordinem habet lex. Bekk. 449, 17.

[17]) cum assessores et in senatu et in iudicio examinarentur. iam Westermann in commentatione de iurisiurandi iudicum Athen. formula quae exstat in Dem. or. in Timocr. part. II p. 9 hoc suspicatus erat. nec videtur ulli dubitationi obnoxium.

p. 114) neque ullus alius auctor eiusmodi quidquam memoriae prodidit. nam lex. Bekk. 246, 14 bene exponit hoc vocabulum: *εἰσαγωγεῖς*: *εἰσαγωγεῖς ἦσαν ἑκάστου δικαστηρίου οἱ ἄρχοντες, οἳ εἰσῆγον αὐτοῖς τὰς δίκας*. Hesychium vero v. *ἐπαγωγή* cur non cum Meiero (qui tamen hoc debuit, ut tum erat codicum Pollucis cognitio) huc referam, sed ad § 101, una cum Pollucei erroris origine aperiam cap. II.

De athlothetis reliqui lexicographi nihil referunt, nisi quod perperam Nicandrum ab Hesych. v. *ἀγωνοθέται* laudatum secuti his tantum musica certamina tribuunt, gymnica agonothetis. Pollucis testimonium non sine probabilitate, opinor, ad Aristotelem rettuli cap. II.

§ 94

Harp. *Ἵππαρχος*: . . . *λέγεται δὲ παρ' Ἀθηναίοις ἵππαρχος καὶ ὁ τῶν ἱππέων ἄρχων· δύο δ' ἦσαν οὗτοι, ὡς Δημοσθ. ἐν δ' Φιλιππικῶν φησι καὶ Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ*.

Harp. *φύλαρχος*: . . . *φύλαρχός ἐστιν ὁ κατὰ φυλὴν ἑκάστην τοῦ ἱππικοῦ ἄρχων, ὑποτεταγμένος δὲ τῷ ἱππάρχῳ, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθην. πολιτ. φησί*.

Phot. *ἵππαρχοι*: *δύο ἦσαν, οἳ τῶν ἱππέων ἡγοῦντο διελόμενοι τὰς φυλὰς ἑκάτερος ἀνὰ πέντε· ἐπιμεληταὶ δέ εἰσι τῶν ἱππέων* [*οἱ φύλαρχοι* addit Rose p. 434] *καθάπερ οἱ ταξίαρχοι δέκα ὄντες εἷς ἀφ' ἑκάστης φυλῆς τῶν ὁπλιτῶν*.

Apparet, ni fallor, et Photium communem cum Harpocratione fontem adiisse et ex parte pleniorem servasse (id quod saepius factum esse docet Naber proleg. ad Phot. p. 107 sqq.) et hunc fontem Aristotelem esse. porro Photium cum Polluce comparanti elucebit hunc quoque sua Aristoteli debere. verba *ἵππαρχοι . . . ἐπιμελοῦνται τῶν πολέμων* minus accurate a Polluce dicta propterea putaverim, quod in auctore suo discrimen inter utrumque magistratum intercedens iam obscuratum (sicut est apud Phot.) invenit et, ne duobus idem tribuere videretur, priorum munus paulo generalius definivit.[18])

[18]) minime, quae est Pollucei operis natura, obstat, quod I 128 recte inter varia ducum genera distinxit: *καὶ οἱ ἄρχοντες οἱ μὲν τοῦ παντὸς στρατηγοί* etc., *ταξίαρχοι καὶ οὐραγοί* etc., *καὶ τῶν ἱππέων ἵππαρχοι καὶ φύλαρχοι*.

De nomophylacibus satis erit lex. Cant. ascripsisse: *νομοφύλακες: ἕτεροί εἰσι τῶν θεσμοθετῶν, ὥς Φιλόχορος*[19]) *ἐν τῇ ἑβδόμῃ· οἱ μὲν γὰρ ἄρχοντες ἀνέβαινον εἰς Ἄρειον πάγον ἐστεφανωμένοι, οἱ δὲ νομοφύλακες στρόφια χαλκὰ ἄγοντες* (sic cod., Phot. v. *οἱ νομοφύλακες: στροφίοις λευκοῖς ἐχρῶντο*) *καὶ [ἐν] ταῖς θέαις ἐναντίον τῶν ἀρχόντων ἐκαθίζοντο καὶ τὴν πομπὴν ἔπεμπον τῇ Παλλάδι· τὰς δ' ἀρχὰς ἠνάγκαζον τοῖς νόμοις χρῆσθαι, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ ἐν τῇ βουλῇ μετὰ τῶν προέδρων ἐκάθηντο κωλύοντες τὰ ἀσύμφορα τῇ πόλει πράττειν* (Phot. *ψηφίζειν*, lex. Bekk. 283, 16 *ἐπιψηφίζειν*). *ἑπτὰ δ' ἦσαν καὶ κατέστησαν, ὡς Φιλόχορος, ὅτε Ἐφιάλτης μόνα κατέλιπε τῇ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῇ τὰ ὑπὲρ τοῦ σώματος.*[20]) cf. Harp. v. *νομοφύλακες.*

Vides, quam mutilatum Philochorum praebeat Pollux, atque etiam melius intelleges, si Photiana contuleris, quae quamquam memoria Philochori neglecta ex eo descripta esse manifestum est.

§ 95—96

Ascribo grammaticorum locos, qui ad Pollucem faciunt: Harp. *κυρία ἐκκλησία: . . . τίνες δὲ αἱ κύριαι ἐκκλησίαι Ἀριστοτέλης δεδήλωκεν ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ λέγων τοὺς πρυτάνεις συνάγειν τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον, τὴν μὲν βουλὴν ὁσημέραι, πλὴν ἐάν τις ἀφέσιμος ᾖ, τὸν δὲ δῆμον τετράκις τῆς πρυτανείας ἑκάστης. „προγράφουσι δέ, φησι, καὶ κυρίαν ἐκκλη-*

---

19) id est: ut e Philochori descriptione nomophylacum cognoscere licet. Philochori enim nomen ex more grammaticorum non ad illud discrimen, sed ad insequentem nomophylacum descriptionem pertinere non monerem, nisi nuper hac in re erratum esse viderem (a Strengio loco a me ad § 102 laudato).

20) Boeckhium (Ueber d. Plan d. Atthis des Philoch. Kl. Schrift. V p. 425), nisi ipsius ratiocinationi obfuissent, non puto haec nominaturum fuisse „der luederliche Artikel, welcher nach dem bessern Theile aus einem anderen Grammatiker ausgeschrieben ist" maloque Schoemannum, C. F. Hermannum, alios sequi. ceterum quae Schoem. (Antiq. p. 299 not. 3) contra Boeckhium de nomophylacibus bis a Philochoro commemoratis suspicatur, ea confirmabit ipse Boeckhius (p. 429): „der Verfasser (Philoch.) habe bei der Fortsetzung des Werkes, welches doch wahrscheinlich stückweise in verschiedenen Zeiten herausgegeben wurde, den späteren Büchern gelegentlich Nachträge zu den früheren eingewebt".

σίαν, ἐν ᾗ δεῖ τὰς ἀρχὰς ἀποχειροτονεῖν οἳ δοκοῦσι μὴ καλῶς ἄρχειν, καὶ περὶ φυλακῆς δὲ τῆς χώρας". καὶ τὰς εἰσαγγελίας ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ τοὺς βουλομένους ποιεῖσθαί φησι, καὶ τὰ ἑξῆς. lex. Cant. κυρία ἐκκλησία: . . . ἄμεινον οὖν Ἀριστοτέλης· τὰς γὰρ ἀρχὰς ἐν ταῖς κυρίαις ἐκκλησίαις φησὶν [ἐπι]χειροτονεῖσθαι καὶ τὰς εἰσαγγελίας [τοὺς βουλομένους ποιεῖσθαι] καὶ τὰ(ς) ἄλλα(ς) τῶν ἀναγκαίων χρηματίζειν καὶ περὶ σίτου [καὶ] φυλακῆς τῆς χώρας καὶ τὰς ἀπογραφὰς τῶν δημευομένων ἀναγιγνώσκειν καὶ τὰς λήξεις τῶν κλήρων· ἐπὶ δὲ τῆς ἕκτης πρυτανείας πρὸς τοῖς εἰρημένοις καὶ περὶ τῆς ὀστρακοφορίας προχειροτονίαν δίδοσθαι, εἰ δοκεῖ ἢ μή.
Harp. ἐπιστάτης: . . . δύο εἰσὶν οἱ καθιστάμενοι ἐπιστάται, ὁ μὲν ἐκ πρυτάνεων κληρούμενος ὁ δὲ ἐκ τῶν προέδρων, ὧν ἑκάτερος τίνα διοίκησιν διοικεῖ δεδήλωκεν ὁ Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ . . .
Harp. πρόεδροι: ἐκληροῦντο ὑπὸ τῶν πρυτάνεων καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν, εἷς ἐξ ἑκάστης φυλῆς πλὴν τῆς πρυτανευούσης, οἵτινες τὰ περὶ τὰς ἐκκλησίας διῴκουν, ἐκαλοῦντο δὲ πρόεδροι, ἐπειδήπερ προήδρευον τῶν ἄλλων ἁπάντων. πολλάκις δ' ἐστὶ τοὔνομα παρὰ τοῖς ῥήτορσιν, ὡς καὶ παρὰ Δημοσθένει ἐν τῷ κατ' Ἀνδροτίωνος καὶ Αἰσχίνῃ ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος. ὅτι δ' ὁ καλούμενος ἐπιστάτης κληροῖ αὐτούς, εἴρηκεν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ.

At, inquies, Aristoteles secundum Harp. de duobus epistatis locutus erat, apud Pollucem unum tantum video. adde igitur Suidam, quem ex eodem fonte, quo Pollux, fluxisse patet, v. ἐπιστάτης (noli autem dubitare, quin Suidas hanc glossam e Photii lexico sumpserit ingenti lacuna nunc decurtato): τῶν πρυτάνεων εἷς ὁ λαχὼν ἐπιστάτης ἐλέγετο. δὶς δὲ τὸν αὐτὸν ἐπιστατῆσαι οὐκ ἐξῆν. φυλάσσει δὲ τοῦ ἱεροῦ τὰς κλεῖς, ἐν ᾧ τὰ δημόσια χρήματα, ἔτι μὴν καὶ τὴν δημοσίαν σφραγῖδα. ἐπειδὰν δὲ οἱ πρυτάνεις συναγάγωσι τὴν βουλὴν ἢ τὸν δῆμον, ὁ ἐπιστάτης κληροῖ προέδρους ἐννέα, ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης ἕνα, πλὴν τῆς πρυτανευούσης. καὶ πάλιν ἐκ τῶν ἐννέα τούτων ἐπιστάτην ἕνα κληροῖ καὶ τὸ πρᾶγμα παραδίδωσιν· αὐτὸς δὲ εἰσάγει τὴν δίκην καὶ ἐπιμελεῖται κατὰ νόμον πάντα γενέσθαι, καὶ μηδὲν παραλειφθῆναι πρὸς τὸ διδαχθῆναι τοὺς δικαστάς. cur Pollux subito orationem abrumperet, eam causam fuisse suspicor, quod, cum legeret epistatam sorte capere epistatam,

haec non intellexit ac, ne ineptire videretur legentibus, tutius duxit postrema plane omittere. omnia vero, quae Pollux habet, uno tenore Aristoteli deberi et Rose p. 436 observavit et unusquisque concedet. Pollucem quidem si quis solum respicit, facile eo perduci potest, ut hunc ordinem rhetoris esse, ipsum autem philosophum, ut res requirere videtur atque nostratium consuetudo est, de epistata continuo post prytanes egisse statuat. sed contionum descriptio prytanibus adiuncta et optime Aristotelis consuetudini respondet, quem plerumque rei modo commemoratae statim explicationem addere vidimus, et Harpocrationis testimonio stabilitur, ita ut omnis evanescat dubitatio. simul intellegitur, quam multa Aristotelia etiam hic apud Pollucem interierint. postremo non praetermittendum videtur, quod in una *κυρίᾳ ἐκκλησίᾳ* cum Polluce consentit Hesych. *κυρία ἐκκλησία: μία κυρία ἐκκλησία ἤγετο Ἀθήνησιν, ἐν ᾗ τὰς ἀρχὰς ἐπιχειροτονεῖν ἔδει,* cum reliqui plerique vel (ut Phot., schol. Aeschin. I 60, schol. Arist. Ach. 19, unde Suid.) tres *κυρίας ἐκκλησίας* agnoscant vel (ut schol. Dem. XXIV 20, schol. Aeschin. III 24, schol. Aristid. vol. III p. 694 Dindorf) in universum de tribus in mense contionibus loquantur. — e Polluce descripta sunt, quae mendis plena leguntur apud schol. Aeschin. I 104.

§. 97

Quae de apodectis Pollux tradit, Hemsterhusius ad h. l. ex Aristotele ab Harpocratione laudato fluxisse arbitratus erat, et eadem sententia nescio an fuerit Boeckhii (Staatsh. I p. 215) et Rosei p. 440. sed nullius earum rerum, quas Aristotelem exposuisse Harpocratio et, qui tacite ex eodem Aristotele hauserunt, lexicographi Bekk. 198, 1 et 427, 13 testantur, praeter ipsorum magistratuum numerum vel levissimum vestigium apud Pollucem exstat. itaque a veritate non aberrabimus, si Pollucem alium auctorem, sed eum, cum Pollucea non modo cum Aristoteliis non pugnent, sed ad omnia, quae de his rebus probata habemus, bene quadrent, bonum atque vestutum secutum esse statuerimus. quem esse suspicer, statim indicabo. cum vero ex Harpocrationis fonte omnes fere hauserint reliqui grammatici, cum

Polluce recte observavit Rose unum Hesychium quamvis brevem facere: *ἀποδέκται· ἀρχὴ Ἀθήνησι τῶν ὑποδεχομένων τὰ χρήματα.* nam schol. Dem. XXIV 161 a seriore demum graeculo additamento auctum, quod codices praeter unum omnes ignorant, ab ipso Hesychio repetendum esse non est improbabile.

Iam locum de *ταμίαις τῆς θεοῦ* aggrediamur, varios in modos a viris doctis temptatum. verba usque ad *παρούσης*, si Pollucem cum Harp. *ταμίαι· ... ἀρχή τις παρ' Ἀθηναίοις ἦν οἱ ταμίαι ι' τὸν ἀριθμόν. παραλαμβάνουσι δ' οὗτοι τό τε ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς καὶ τὰς Νίκας καὶ τὸν ἄλλον κόσμον καὶ τὰ χρήματα ἐναντίον τῆς βουλῆς, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ ...*, Harpocrationem cum Photio *ταμίαι· ἄρχοντές εἰσιν Ἀθήνησιν κληρωτοὶ ἀπὸ τῶν πεντακοσιομεδίμνων, οἳ τὰ ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν Ἀκροπόλει χρήματα ἱερά τε καὶ δημόσια φυλάττουσιν. ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τὸ ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς· εἰσὶ δὲ καὶ ...* comparaveris, verba usque ad *παρούσης* Aristoteli deberi facile concedes. sed in miris illis, quae sequuntur, *ἐκαλοῦντο δ' οὗτοι κωλακρέται* Boeckh (Staatsh. I p. 239) Pollucem simpliciter colacretas cum Minervae quaestoribus confudisse opinatur idque acutissime persequitur, tamen non satisfecit Schoemanno (Gr. Alt. I³ p. 443 not. 6) quamvis dubitanter conicienti etiam quaestorum Minervae munus ante Clisthenem colacretas gessisse. ego neutri adstipulari possum. conferenti enim hunc locum cum Poll. § 108 (de demarchis: *ἐκαλοῦντο δὲ τέως ναύκραροι, ὅτε καὶ οἱ δῆμοι ναυκραρίαι*) et observanti apud Harp. v. *ἀποδέκται* ex Androtione afferri *ὅτι δὲ ἀντὶ τῶν κωλακρετῶν οἱ ἀποδέκται ὑπὸ Κλεισθένους ἀπεδείχθησαν, Ἀνδροτίων β'* ex illo apparebit, quid apud Pollucem *ἐκαλοῦντο* significet, scilicet alteros in alterorum administrationem magistratumque successisse (id quod etiam Schoemann aliique viderunt), ex hoc elucebit, cui recentiori magistratui cesserint colacretae. iam vero de ipsis his apodectis enarratio in Polluce proxime praecedit, quare non dubito, quin verba *ἐκαλοῦντο δ' οὗτοι κωλακρέται* post verba *εἰς δικαστήριον* transponenda[21]) transpositisque notio veluti *πρότερον* omnino necessaria atque in

[21]) idem vitium deprehenditur § 87.

importuna librarii transpositione omissa addenda sit. nunc ut posteriora verba, sic totum de apodectis locum ad Androtionem rettulerim. neque enim e Boeckhii re facit, quod Polluci erroris socium addere posse sibi videbatur quamvis misellum, ut ipse confitetur, lexicographum Bekk. 190, 15 *κωλακρέται: οἱ κρατοῦντες δικαστικὴν ζημίαν.* ne hic quidem ut Boeckhium sequar, a me impetrare possum. non enim puto grammaticum illum de iuridica quadam colacretarum potestate loqui, sed illud eorum munus intellegere, quo mercedem iudiciariam distribuerint, ex ipsis multis mercedem iudicum sumi significantem. qua in re gaudeo Ruhnkenium ad Timaeum s. v. eodem modo grammaticum illum videri interpretari, cum eum Aristophanem Byzantium (ap. schol. Arist. Av. 1541) sequi suspicetur.[22]

Quae post *κωλακρέται* apud Pollucem leguntur, ad *τοὺς ταμίας τῆς θεοῦ* referunt plerique, e Lysia IX 7 hausta esse affirmant omnes. ut illud pro explorato habendum, sic hoc mihi quidem dubium est. ubicumque enim Pollucea testimonia ex oratoribus fluxisse certum est, multo propius ea ad ipsa oratoris verba accedere observamus.

Ad plane alium finem pervenit Rose p. 442. Didymum enim uno eodemque loco de tamiarum variis generibus egisse atque inde reliquos omnes, etiam Pollucem, hausisse opinatur, tum magnam quandam et perpetuam perturbationem grammaticorum neglegentia ortam fingit, unde etiam Pollucis de colacretis error ortus sit. sed mihi mea ratio facilior ideoque probabilior videtur. nimirum grammaticorum turbae errores tribuere malunt, quam librariorum, tamquam si illorum scripta non iisdem atque etiam maioribus periculis subiecta fuerint, quibus reliqui auctores.

§ 98

Harp. *γραμματεύς: . . . ὁ γραμματεὺς πῶς τε καθίστατο καὶ τί ἔπραττεν, ὡς τῶν γραμμάτων τ' ἐστὶ κύριος καὶ τὰ ψηφίσματα τὰ γενόμενα φυλάττει καὶ τὰ ἄλλα πάντα ἀντιγράφεται καὶ παρακάθηται τῇ βουλῇ, δεδήλωκεν* Ἀριστοτέλης *ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ.*

[22]) eodem modo ipse Boeckh in priore editione I p. 188 interpretatus erat.

Harp. *ἀντιγραφεύς*: . . . *διττοὶ δὲ ἦσαν ἀντιγραφεῖς ὁ μὲν τῆς διοικήσεως, ὥς φησιν Φιλόχορος, ὁ δὲ τῆς βουλῆς, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ.*

Apud Harp. v. *γραμματεύς* in fine non amplius de *γραμματεῖ*, sed de *ἀντιγραφεῖ* sermonem esse nemo non videt. itaque Harpocrationem hos confudisse voluerunt, sed mihi probabilius videtur quaedam intercidisse. quid enim *τὰ ἄλλα πάντα ἀντιγράφεται*? nonne potius etiam Aristoteli *πάντα* dicendum fuit, ut est apud Pollucem? suspicor igitur Harpocrationem in hunc fere modum scripsisse: *φυλάττει, καὶ τὰ ἄλλα πάντα τὰ περὶ τῶν γραμματέων καὶ ὅτι καὶ ἀντιγραφεύς τίς ἐστιν, ὃς πάντα ἀντιγράφεται κ. τ. λ.* et a librariis, quae inter duo illa *πάντα* exstabant, omissa esse. sed utut est, id apparet prima Pollucea Aristotelis esse itemque quae de *ἀντιγραφεῖ* usque ad *τῇ βουλῇ* dicuntur, deinde Aristotelem quoque de contrascriptore continuo post scribam vel scribas egisse. idem ordo observatur etiam in lex. Bekk. 185, 14 *γραμματεύς: ὁ ἀναγινώσκων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τὰ προστεταγμένα· κατὰ χρόνους ἠλάσσετο. ὁ δὲ καταγραφόμενος τὰ ἐν τῇ βουλῇ γενόμενα ἀντιγραφεὺς ἐλέγετο.*[23]) de veritate earum rerum, quas Pollux tota § 98 exponit, post Boeckhium (Staatsh. I p. 253—263) a nullo ambigetur. quamobrem non dubito haec omnia ad Aristotelem referre. nam quod Rose p. 439 opponit scribam a populo creatum ad Aristotelis de senatu locum non pertinere: non pro comperto habendum est Aristotelem de scribis ibi, ubi de *βουλῇ*, egisse; sed nihilominus verisimile esse concedo. atqui ille scriba, licet non fuerit et ipse senator, *ἀναγιγνώσκει καὶ τῇ βουλῇ.* denique quod dicit Rose occasione data hunc populi scribam in Pollucis fonte additum esse, eadem occasione etiam Aristoteles uti facillime poterat. sed quae deinceps inde a *δύο δ' ἦσαν* sequuntur, non sunt Aristotelis, sed eius, qui Philochorum Aristoteli adiunxit. si Boeckhium audimus docentem scribam *τῆς διοικήσεως* Aeschinis tempore abolitum fuisse, fortasse iam ne poterat quidem Aristoteles eius mentionem facere. tamen recte videtur Schoemann (Opusc. acad. I p. 293 sqq.)

---

[23]) Suidae prior glossa *γραμματεύς* e variis glossis lexicorum Bekk. composita est.

monuisse hunc magistratum Hegemonis lege ab ipso Aeschine commemorata paulo post restitutum esse.[24])

§ 99

Licebit huc assumere, quae initio § 100 de euthynis leguntur. nihil ad nos pertinet controversia de discrimine, quod inter euthynos et logistas intercedat, cum nemo non videat Pollucem hic (et 45) communem paene omnium grammaticorum opinionem, quam Aristoteli Harpocratio tribuit, sequi. sed apud Pollucem res est caligine non parva circumfusa. ac primum quidem quae de logistis narrantur *καὶ τούτους ἡ βουλὴ κληροῖ κατ' ἀρχήν*, plane illa quidem incredibilia, ea ad hos magistratus pertinere non posse omnes consentiunt. etiam reliqua (*ὡς παρακολουθεῖν τοῖς διοικοῦσιν*) mirum in modum sunt dicta, malo vero ea, cum logistarum mentio praecedat, cum Boeckhio (Staatsh. I p. 267 not. c) ad hos referre, quam cum God. Hermanno (Ueber Herrn Prof. Boeckh's Behandlg. d. griech. Inschr. Leipzig 1826 p. 232) ad *ἀντιγραφέας* paulo ante memoratos. priora verba quo tandem pertineant, nescio. Hermanno haec quoque ad *ἀντιγραφέας* attinere et de logistis locum e Polluce plane evanuisse conicienti iam ab aliis obiectum est etiam apud Pollucem offendere repetitam sortitionis memoriam. sed revera vetustam corruptelam hunc locum invasisse id quoque indicio est, quod unus ex optimis codicibus (A) pro iis, quae Bekker e suis manuscriptis dedisse videtur, exhibet *λογισταὶ δύο ἦσαν*, et alter codex (C) priore non inferior *κατάρχειν* pro *κατ' ἀρχήν*, atque utrumque mendum (non tamen etiam vox *ἀντιγραφεῖς* in tertio codice post *παρακολουθεῖν* inserta) ad scholiastam Aeschinis I 107 Pollucem saepius exscribentem transiit. aliam sententiam, sed, ut mihi videtur, parum probatam Schoemann (Opusc. acad. I p. 293 sqq.) publici iuris fecit. omitto, quod censet logistis paulo infra aptiorem locum Pollucem assignare debuisse nec inepte eos ab euthynis separandos fuisse; nam ut nunc

[24]) haec lex secundum Boehneckium (Forschungen auf d. Gebiet d. att. Redner, Berlin 1843, p. 574 not. 2) lata est intra annos 335 et 330.

novimus Pollucem, in ea re nemo iam offendet.[25]) tum hanc scripturam restituendam esse arbitratur: **δύο δ' ἦσαν, ὁ μὲν τῆς βουλῆς, ὁ δὲ τῆς διοικήσεως λογιστής** atque generaliorem significatum huius vocis Eupolidis exemplo defendit. contra quas rationes id moneo: primum Harpocrationis de **ἀντιγραφεῦσι** locus supra appositus prorsus dissuadet, ut novum vocabulum ab illo plane alienum inferamus atque ita manifestum consensum tollamus. deinde num Pollux verbo **λογιστής** in hanc sententiam uti potuerit, vehementer dubito: aliter enim comicus poeta loqui poterat, aliter debebat lexicographus atque grammaticus. et ipse Schoemann opinionis suae infirmitatem sentiens, etiamsi Bekkeri scriptura servetur, insequentia ad **τὸν τῆς διοικήσεως ἀντιγραφέα** se referre posse putat. sed hac ratione id ipsum e textu removet, quod gravissimum est in Bekkeri scriptura: logistarum mentionem.

Sed iam ad euthynos transeamus. satis erit hac de re Boeckhii opinionem protulisse, qui Pollucem cum reliquis testimoniis conciliare studet. unde profectus, quae ipse sentiam, explicabo. ille igitur ita (Staatsh. I p. 271 not. b): „Wie die Stelle herzustellen sei, ist nicht klar, aber der Sinn muss der oben ausgedrückte gewesen sein.[26]) Zunächst gehört **τοῖς ἐννέα ἄρχουσι** nicht zu **πάρεδροι**[27]), sondern es ist so zu interpungiren: **ὥσπερ οἱ πάρεδροι τοῖς ἐννέα ἄρχουσι**[28]), **προσαιροῦνται**; sodann ist **προσαιροῦνται** sonst

---

[25]) saepe enim divellit ea, quae coniuncta in fonte suo invenerat; cf. librum not. 2 laudatum inde a p. 23.

[26]) scil. sic suspicatus erat: „Wahrscheinlich wurden alle Beisitzer der Behörden wie die der obersten Archonten ohne Zuthun des Staates, vorbehaltlich der Prüfung (**δοκιμασία**) und der Rechnungspflichtigkeit, von den Beamten selbst zugenommen, und was bei Pollux nach dem gegenwärtigen Texte von den Euthynen ausgesagt wird, sie seien wie die Beisitzer der neun Archonten zugenommen worden, ist von den Beisitzern der Euthynen zu verstehen."

[27]) videtur calami lapsus esse pro **προσαιροῦνται**.

[28]) praeclarum sui vindicem Pollux hic quoque assecutus est Boeckhium (Ueber die Logisten und Euthynen der Athener, Kl. Schrift. VII p. 299): „Pollux ist weit entfernt zu glauben a l l e neun Archonten hätten Beisitzer gehabt: **ἄρχοντες** heissen alle Behörden; um nun zu bezeichnen, dass er nicht von Beisitzern der Behörden überhaupt, sondern

vielmehr ein Medium, wie VIII, 92 und überall[29]), und ursprünglich mag ohngefähr so etwas gestanden haben: *οἱ δὲ εὔθυνοι ἦσαν δέκα κληρωτοί, καὶ τούτων πάρεδροι, ὥσπερ οἱ πάρεδροι τοῖς ἐννέα ἄρχουσι, οὓς καὶ αὐτοὶ προσαιροῦνται. οὗτοι δ' εἰσπράσσουσι καὶ τοὺς ἔχοντάς τι τῶν δημοσίων.* Die letzten Worte sind schon vor uns aus Phavorinus zugesetzt worden. Eine Spur von den Beisitzern der Euthynen ist auch im Schol. Plat. S. 459 Bekker; doch sind sie dort offenbar mit den Beisitzern der Archonten vermischt." sed vereor, ne Boeckh erraverit: videlicet nimis magni Pollucem aestimabat, eum adversus God. Hermanni vituperationem naviter defendens.[30]) quamquam enim Boeckh identidem negat Pollucem cum scholiasta Platonis comparari debere, tamen facere non possum, quin aut scholiastam e Polluce hausisse aut cum God. Hermanno (l. l. p. 230) utrumque eodem fonte usum esse statuam. posterius, licet alias scholiasta Pollucem exscripserit, ut hic res sunt comparatae, multo mihi quoque verisimilius est. est autem illud scholion (ad Plat. leg. p. 945 B) eiusmodi: *εὔθυνοί εἰσιν ἄρχοντές τινες οἱ τὰς εὐθύνας λαμβάνοντες παρὰ τῶν ἀρχόντων, ὥσπερ καὶ οἱ λογισταὶ καὶ πάρεδροι ἐφ' ἑκάστῃ ἀρχῇ· καὶ γὰρ τῷ ἄρχοντι εὔθυνος ἦν καὶ πάρεδρος, καὶ τῷ βασιλεῖ ὁμοίως καὶ τῷ πολεμάρχῳ καὶ τοῖς θεσμοθέταις. ἐκπράσσει δὲ ὁ εὔθυνος ὅσα ἐπὶ τῆς ἀρχῆς, ᾗ προστέτακται, ὦφλόν τινες εἰς τὸ δημόσιον.*[31]) vides mirum omnium errorum consensum. quis eorum auctor sit, ignoro.

Paulo uberius de iis, quae de duobus illis Pollucis locis ferebantur, opinionibus mihi agendum esse ratus sum, quo magis, quid sit statuendum, appareat. illic corrupta praebet Pollux, hic falsa, utroque loco, si Platonis scholiastam ex-

von Beisitzern der vorzugsweise sogenannten Archonten rede, sagt er *τοῖς ἐννέα ἄρχουσι*, nur den Namen der Behörde bezeichnend, und der Kürze wegen nicht die Benennungen der 3 obersten Archonten einzeln aufführend, und verlässt sich, allerdings zu flüchtig schreibend, auf seine Leser, dass sie aus VIII, 92 noch wissen werden, von welchen der 9 Archonten dies zu verstehen sei."

[29]) nihilominus passivum exstat § 104.

[30]) cf. inprimis l. not. 28 l. p. 302 sq.

[31]) initium conspirat cum lex. Bekk. 257, 15.

cipis, peculiaria. illud vero pro certo affirmare ausim: ex ista memoria ne tantillum quidem nos in difficili de logistis et euthynis quaestione proficiemus.

ἀποστολεῖς.

Harp. *ἀποστολεῖς: οἱ ἐπὶ τῆς ἐκπομπῆς τῶν τριήρων ἀποδεδειγμένοι· Δημοσθένης ὑπὲρ Κτησιφῶντος καὶ Φιλόχορος ἐν ζ'. ἀπόστολοι δ' εἰσιν αἱ τῶν νεῶν ἐκπομπαί· ὁ αὐτὸς ῥήτωρ ἐν α' Φιλιππικῶν.*

Inter hunc Pollucemque quasi medium locum tenet lex. Bekk. 435, 29 *ἀποστολεῖς: δέκα τὸν ἀριθμὸν ἄρχοντες ἦσαν, οἱ ἐπὶ τῆς ἐκπομπῆς τῶν πλεουσῶν τριήρων καὶ τῶν ἀναγομένων [ἀπο]στόλων ἀποδεδειγμένοι. ἀποστολεῖς δὲ παρὰ τὸ ἀποστέλλειν τὰ πλοῖα.* ab eodem haud dubie fonte repetendum est, sed paulo propius ad Pollucem accedit lex. Bekk. 203, 22: *ἀποστολεῖς: ἄρχοντες δέκα τὸν ἀριθμόν, ἐπὶ τῶν ἐκπλεουσῶν τριήρων καὶ τῶν ἀποστόλων ἀναγομένων, παρὰ τὸ ἀποστέλλειν τὰ πλοῖα.* quare fortasse non falso etiam Pollucem ad Philochorum referre licet. non dissentit quamquam corruptus Hesych. *ἀποστολεύς: τὰ πρὸς πλοῦν παρασκευάζων τοῖς πλέουσιν ἀποστελλομένοις ἀπὸ στόλων τὴν διὰ θαλάσσης* (M. Schmidt: *τοῖς πλοίοις ἀποστελλομένοις. ἀπόστολον: τὴν διὰ θαλάσσης*).

πωληταί.

Harp. *πωληταί καὶ πωλητήριον: οἱ μὲν πωληταὶ ἀρχή τίς ἐστιν Ἀθήνησι, ι' τὸν ἀριθμὸν ἄνδρες, εἷς ἐκ τῆς φυλῆς ἑκάστης· διοικοῦσι δὲ τὰ πιπρασκόμενα ὑπὸ τῆς πόλεως πάντα τέλη καὶ μέταλλα καὶ μισθώσεις καὶ τὰ δημευόμενα· Ὑπερείδης ἐν τῷ κατ' Ἀρισταγόρας β'. διείλεκται δὲ περὶ αὐτῶν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ. πωλητήριον δὲ κ. τ. λ.* Harp. *μετοίκιον: . . . οἱ μέντοι μὴ τιθέντες τὸ μετοίκιον ἀπήγοντο πρὸς τοὺς πωλητάς, καὶ εἰ ἑάλωσαν, ἐπιπράσκοντο, ὥς φησι Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστογείτονος . . .*

Etsi postrema e Demosth. (§ 57 sq.) ut Harp. ita etiam Pollux sumere poterat, tamen consensus ipsorum verborum talis est, ut uterque ex eodem fonte, qui non fuerit Demosthenes ipse, hausisse putandus sit. quae in priore glossa habet Harp. et iis congruentia Pollux, utrum Aristotelis sint

ab Harp. paulo infra laudati an eius, qui prior citetur, Hyperidis (cf. v. *μετοίκιον*), vix dubium est. nam quia *ὡς* ante Hyperidis nomen hic abest, videtur ab Hyperide horum magistratuum non nisi mentio facta esse (ut Harp. v. *ἀποστολεῖς*). reliqua Pollucea num eiusdem Aristotelis sint, mihi non constat; a ceteris grammaticis absunt omnibus; cf. tamen § 117.

§ 100

εὔθυνοι. vid. ad § 99.

οἱ τετταράκοντα.

Ex Aristotele haec sumpta esse demonstrat Harp. v. *κατὰ δήμους δικαστάς*: . . . *περὶ τῶν κατὰ δήμους δικαστῶν, ὡς πρότερον μὲν ἦσαν λ' καὶ κατὰ δήμους περιιόντες ἐδίκαζον, εἶτα ἐγένοντο μ', εἴρηκεν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ.* Polluci similia habent Phot. et lex. Bekk. 306, 15, sed omittunt numeri mutationem.

χίλιοι καὶ διακόσιοι.

Quae de Demosthenis lege non satis accurate dicuntur, quin ob illam ipsam causam ex Hyperidis loco ab Harpocratione laudato sumpta sint, unde facillime Pollucis sententia oriri potuerit, videtur non dubium esse. sunt autem verba haec: *συμμορία: Δημοσθένης κατ' Ἀφόβου α'. οὐχ ἅπαν τὸ πλῆθος, ὥσπερ παρ' ἡμῖν, διῄρητο εἰς τὰς συμμορίας Ἀθήνησιν, ἀλλὰ μόνοι οἱ πλούσιοι καὶ εἰσφέρειν τῇ πόλει δυνάμενοι. ὁ γοῦν Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τῶν συμμοριῶν φησι, περὶ τῶν χιλίων καὶ διακοσίων ἀνδρῶν λέγων τῶν πλουσιωτάτων „ἐκ τούτων τοίνυν οἶμαι δεῖν ποιῆσαι συμμορίας κ', ὥσπερ νῦν εἰσι, σώματα ξ' ἑκάστην ἔχουσαν." Ὑπερείδης δ' ἐν τῷ πρὸς Πολύευκτόν φησιν „εἰσὶ γὰρ ἐν τῇ συμμορίᾳ ἑκάστῃ ιε' ἄνδρες." οὐ δεῖ δὲ θαυμάζειν πῶς ὁ μὲν Δημοσθένης φησὶν ξ' ἄνδρας ἔχειν τὴν συμμορίαν, ὁ δὲ Ὑπερείδης ιε'· ἐν γὰρ τῷ κατὰ Πασικλέους λέγει τὴν αἰτίαν, γράφων ταυτί· „ἕως μὲν οἱ πλουσιώτατοι παρακρουόμενοι τὴν πόλιν σύμπεντε καὶ σύνεξ τριηραρχοῦντες μέτρια ἀνήλισκον, ἡσυχίαν ἦγον οὗτοι· ἐπειδὴ δὲ ταῦτα κατιδὼν Δημοσθένης νόμους ἔθηκε τοὺς τριακοσίους τριηραρχεῖν καὶ βαρεῖαι γεγόνασιν αἱ τριηραρχίαι* . ." num vero totus Pollucis locus ex eodem, unde Harp., fonte

manaverit (cf. Harp. *χίλιοι διακόσιοι*: ... *οἱ πλουσιώτατοι Ἀθηναίων χίλιοι καὶ διακόσιοι ἦσαν, οἳ καὶ ἐλειτούργουν. μνημονεύουσι δ' αὐτῶν καὶ ἄλλοι ῥήτορες καὶ Φιλόχορος ἐν τῇ ϛ'* ...) pro certo affirmari non potest, sed verisimile videtur.

§ 101

Hos quoque *εἰσαγωγεῖς* (cf. ad § 93), ut peculiares magistratus, nullos esse demonstravit Meier (Att. Proc. p. 115, quo tempore hic *ἐπαγωγεῖς* legebatur). habet tamen Pollux erroris socium unum Hesychium: *εἰσαγωγή*: *ἀρχὴ Ἀθήνησιν τῶν τὰ ἐγκλήματα εἰσαγόντων* (unde schol. Dem. XXI 3).

νομοθέται.

De hoc loco Schoemann (Opusc. acad. I p. 256), Pollucem contra Bakium defendens, ita: „haec reprehensio in alias potius eius operis partes, quam in hunc librum octavum cadit, in quo Aristotelem auctorem sequi solet, id quod dudum a peritis observatum est. Neque ulla causa est, cur non hunc quoque locum de legibus ex Aristotele sumptum esse credamus, adeoque ipsum fortasse vocabulum *νέους*, quod tantopere Bakio displicuit. Nam Aristotelem quoque non lectissimis ubique verbis uti videmus: neque tamen id auctoritati eius apud intelligentes officit.“ licet haec suspicari, demonstrari nequit, cum reliquorum grammaticorum testimonia Polluce deteriora nihil nos adiuvent. recentiores plerique, cum mille (et unius) nomothetarum numerus in psephismate suppositicio Demosthenis orationi in Timocratem (§ 27) inserto ita praescribatur, ut extra ordinem eum constitutum esse pateat — si enim legitimus fuisset, in rogatione omnino non commemorari debuisse — plerique igitur statuunt Pollucem illinc numerum sumpsisse et male pro certo legitimoque protulisse. at recte, opinor, Westermann[32]) docuit eum qui hoc psephisma supposuit etiam alias res plane

---

[32]) Untersuchungen über die in die att. Redner eingelegten Urkunden, Abhandlgn. d. kgl. sächs. Gesellsch. d. Wiss. philol.-hist. Cl. I p. 28 sq.

supervacaneas addidisse: sic *πρυτάνεις τοὺς τῆς Πανδιονίδος*, cum *ἡ πρυτανεύουσα φυλὴ* iam in principio nominata esset neque alius tribus prytanes nisi huius significari possent; sic *ἐκ τῶν ὀμωμοκότων*, cum semper nomothetae ex heliastis sumerentur. ex ipsa hac mala diligentia, quae etiam nota et vulgaria in lege ea componenda adhibuisset, non sine probabilitate conici posse etiam numerum unius et mille nomothetarum, sicut et a Polluce traderetur, legitimum fuisse et psephismatis auctori non ignotum. nam quingentorum numerum in psephismate orationis Andocideae de mysteriis § 84 commemoratum extra ordinem constitutum esse omnes consentiunt. sed Pollucis verba *ἐν οἷς ἐξῆν λῦσαι νόμον παλαιόν, οὐ θεῖναι νέον* sunt fortasse derivata e Demosthenis verbis quamvis in aliam sententiam dictis Olynth. III § 10: *νομοθέτας καθίσατε. ἐν δὲ τούτοις τοῖς νομοθέταις μὴ θῆσθε νόμον μηδένα (εἰσὶ γὰρ ἱκανοὶ ὑμῖν), ἀλλὰ τοὺς εἰς τὸ παρὸν βλάπτοντας ὑμᾶς λύσατε.*

Sequitur in Polluce alius nescio quis magistratus. nam nomen ei in uno codice et ab editionibus ante Bekkerianam inditum *(πάρεδροι)* falsum esse suo iure censuit Meier (Att. Proc. p. 58 not.). secundum C. Goettlingium (Das Pelasgicon in Athen, Rhein. Mus. N. F. IV p. 341 not. 79) sunt *φύλακες* (quod in uno codice legitur) vel *γνώμονες*, secundum Bergkium (Philol. Thesen, Philolog. XIV p. 388 sq.) *ἀκροφύλακες* vel *πυλωροί*. Pelasgicum, quod Athenis erat, sacrum fuisse aliunde constat, sed de tali magistratu nemo praeter Pollucem refert.

§ 102

Quae in principio exstant, apud solum Pollucem leguntur; in sequentibus proxime accedit schol. Lucian. Iov. confut. 16 *οἱ ἕνδεκα ἄρχοντες ἦσαν παρὰ Ἀθηναίοις τῶν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἐπιμελούμενοι καὶ τοὺς ἐναγομένους ὡς κλέπτας ἢ ἀνδραποδιστὰς ἢ λωποδύτας, ἂν μὲν ὁμολογῶσι, θανάτῳ ζημιοῦσιν, ἐὰν δὲ ἀμφισβητῶσιν, εἰς δικαστήριον εἰσάγουσι, καὶ ὃ δ' ἂν κριθῇ περὶ αὐτῶν ποιοῦσι. καὶ εἴ τις ἄλλος κατακριθῇ θανάτου, οἱ ἕνδεκα τοῦτον παραλαμβάνουσιν*, cf. Phot. *περὶ τῶν ἕνδεκα* (in fine litterae *ε*), lex. Bekk. 250, 4 et 309, 33 etc. apparet haec omnia ex eodem fonte fluxisse,

fortasse Aristotele, si Heraclidis excerpta spectamus: *ὁμοίως δὲ καθιστᾶσι καὶ τοὺς ἕνδεκα τοὺς ἐπιμελησομένους τῶν ἐν δεσμωτηρίῳ.* ad postrema Pollucis verba cf. Hesych. *Χαρών*[*ε*]*ιον*: *θύρα μία τοῦ νομοφυλακίου, δι' ἧς οἱ κατάδικοι τὴν ἐπὶ θανάτῳ ἐξήγοντο,* Suid. *Χαρώνειος θύρα* (et eiusdem glossam *νομοφυλακίου* Bernhardyo merito suspectam).

De auctore totius loci cum nihil possim exhibere, liceat in fidem eius inquirere. uberius nuper de nomophylacibus egit Iulius Strenge [33]). mitto eam quaestionem, ut quae nihil ad nos pertineat, num florente libera republica (ab Ephialte institutus) hic magistratus exstiterit necne. quae autem Strenge fuse, ne dicam fusius, de grammaticorum testimoniis aliorumque locis profert, pleraque dudum ab aliis observata sunt, novi ipse paene nihil affert nisi errores [34]).

---

[33]) quaestiones Philochoreae, Gotting. 1868 p. 5—42. sero inspexi A. Philippi, Areopag u. Epheten, Berlin 1874, p. 185 sqq., tamen nihil opus videbatur mutare.

[34]) grammaticorum graecorum rationis plane se ignarum praestitit. pro certo enim est habendum omnia, quotquot citat, testimonia praeter Poll. § 102 ex uno fonte manasse atque hunc esse (Didymi?) commentarium ad Dinarchi orationes. itaque non debebat mirari a tot grammaticis non nisi ad unum Dinarchum provocari. deinde, quae sunt tritissima, ut suspicionem non improbabilem affert, Suidam v. *νομοφύλακες* ex Harpocratione derivatum esse (nempe de eius epitome ne fando quidem audiverat), plane ignorat alteram Suidae glossam v. *οἱ νομοφύλακες* e Photio transscriptam esse. lexicon Cantabr., cum Harpocrationis codici ascriptum sit, ex Harp. interpolatum arbitratur. sed hoc fragmentum ratione Harpocrationis non habita compositum esse cum alia multa probant tum id, quod longam glossam *παράστασις* cum epitome (quae rursus hac in voce ab ipso Harp. paene nihil differt) etiam in erroribus congruentem nihilominus in margine adpictam videmus. ex verbis, quae ad „carcera significanda" usurpentur, laudat *θεσμοφυλάκιον* e Poll. § 102, cum paulo ante inde recte exscripserit *τοῦ νομοφυλακίου, νομοφυλάκιον* e Suid. v. *χαρώνειος θύρα* et *χαρώνιον,* quae posterior glossa apud hunc auctorem non legitur. e verbis lexici Bekk. 283, 16 *νομοφύλακες: ἄρχοντες οἱ ἐν ἐκκλησίᾳ κ. τ. λ.* Strengio „confudisse lexicographum nomophylaces et novem archontes in aprico est." in verbis lexici Cant. *νομοφύλακες: ἕτεροί εἰσι τῶν θεσμοθετῶν, ὡς Φιλόχορος ... οἱ μὲν ἄρχοντες ἀνέβαινον εἰς Ἄρειον πάγον ἐστεφανωμένοι* Meieri mutationem *θεσμοθέται* pro *ἄρχοντες* probat, cum „nunquam Thesmothetarum collegium archontum nomine significetur"; sed e contrario concludendum est hunc lexicographum etiam in initio de novem archontibus cogitare, qui et *ἄρχοντες* et *θεσμοθέται* vocabantur.

inter omnes constat Demetrii Phalerensis tempore *νομοφύλακας* exstitisse, quorum officia inprimis Phot. v. *οἱ νομοφύλακες* describit. id quoque omnes concedunt hos magistratus a Demetrio vel institutos esse vel restitutos vel nova et maiore potestate instructos.[35]) tradit autem hic Pollux eodem Demetrio rempublicam administrante (parum recte Meier ad lex. Cant. v. *εἰσαγγελία* haec ad Demetrii librum *περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας* rettulisse videtur) *νομοφύλακας* fuisse eos, qui antea *οἱ ἕνδεκα.* itaque aut utrique nomophylaces iidem fuerunt aut duo eiusdem nominis magistratus exstiterunt. illud propter officiorum et diversitatem et multitudinem vix credi potest, hoc autem et ipsum per se parum probabile solo Pollucis testimonio incertissimo, ut statim videbimus, nititur. aliunde enim certiores fimus revera undecimviris postea novum nomen inditum esse, sed non nomophylacum, immo multo aptius: schol. Arist. Vesp. 1108 *τοὺς ἕνδεκα] ἐτήρουν οἵδε τοὺς δεδεμένους. οὗτοι δὲ νῦν θεσμοφύλακες καλοῦνται*; schol. Dem. XXIV 80 *ἕνδεκα λέγει ἀντὶ τῶν δεσμοφυλάκων,* schol. Dem. XXII 26 *τοῖς ἄρχουσιν* (dicit autem Demosthenes undecimviros) *ἐφηγοῦ] ἄρχοντες μὲν λέγονται πάντες οἱ μεταχειριζόμενοι ἀρχήν τινα· ὅμως ἀπροσδιορίστως ἄρχοντας ἐκάλουν τὴν ἀρχὴν τῶν δεσμοφυλάκων. αὕτη δὲ ἦν τὸν ἀριθμὸν ια' ἄνδρες.* hinc non sine probabilitate efficitur *τοὺς ἕνδεκα* nomine a Demetrio Phalerensi mutato (neque enim est, cur in hac quoque re Polluci diffidamus) *δεσμοφύλακας* (vel quod errori deberi videtur *θεσμοφύλακας*) appellatos esse. at, inquies, conspirant reliqui cum Polluce in scriptura *νομοφυλακίου* ideoque verisimile est etiam carceris curatores nominatos fuisse *νομοφύλακας.* sed ita inter se conspirant omnes (supra eos attuli), ut ex eodem fonte eoque iam impuro eos fluxisse manifestum sit. nam unus testis, qui aliunde videtur originem ducere, non exhibet *νομοφυλακίου*: schol. Aristid. vol. III p. 65 Dindorf: *ὡς καὶ χαρώνιον ἡ τοῦ δεσμωτηρίου ἐλέγετο θύρα· ἀφ' ἧς οἱ πρὸς Χάρωνα ἀγόμενοι τῶν καταδίκων, τουτέστιν οἱ τὴν ἐπὶ θανάτῳ δεχόμενοι ψῆφον, ἤεσαν.* atque in ea ratione, quam inter Pollucem Hesychiumque intercedere infra videbimus, minime

[35]) hoc Philippi arbitratur.

mirum est, quod rhetor non solum in hoc errore cum Hesychio congruit, sed etiam se necessarium eius quasi socium atque comitem nobis praebet. de eo quoque Pollux magis cum Hesychio quam cum reliquis convenit, quod apud hos *χαρώνειον* vel *χαρώνιον* legitur, apud Suidam et Zenobium *χαρώνειος* vel *χαρώνιος θύρα*, apud Diogenianum Apostoliumque *Χάρωνος θύρα*.

Sed fortasse etiam plus quam solum nomen apud Pollucem errori debetur. certe quae in principio de decem magistratibus eorumque scriba narrantur, quibusdam minime placuit; nec minuitur suspicio, si in publica tabula (Boeckh Seeurk. p. 535) legimus *τὸγ γραμματέα τῶν ἕνδεκα.* quid autem? si apud Photium aliosque legimus nomophylaces et thesmothetas (id est, ut lex. Cant. docet, novem archontes, cf. not. 34 fin.) saepius inter se confusos esse, si scimus novem archontes ex sua quemque phyle sortito captos esse iisque saepius ut decimum scribam eorum adnumeratum esse (cf. schol. Arist. Vesp. 775 *θεσμοθέται καὶ δέκατος ὁ γραμματεύς*[36]), nonne eo ducimur, cum Pollux de suis nomophylacibus (qui antea undecimviri appellati fuissent) tradat *εἷς ἀφ' ἑκάστης φυλῆς ἐγίνετο καὶ γραμματεὺς αὐτοῖς συνηριθμεῖτο,* ut auctorem Pollucis non solum desmophylaces cum nomophylacibus, sed etiam vulgari illo errore addito hos cum archontibus commutasse et, quae horum sint, male ad desmophylaces et undecimviros transtulisse statuamus? sicut in schol. Arist. Plut. 277 *οἱ θεσμοθέται κατὰ φυλὴν ἕκαστος καὶ ἕνδεκατος* (sic Aldina, nescio, num e codicibus. de suis nihil adnotant, qui *δέκατος* legunt, Dindorf et Duebner) *ὁ γραμματεὺς ἐκλήρουν τὰ γράμματα.*

§ 103

ἐπιγραφεῖς.

Ex eodem fonte, quo Pollux priora, Harpocratio sua hausisse videtur: *ἐπιγραφέας: τοὺς καθεστηκότας ἐπὶ τῷ γράφειν*

[36]) cautius agere debebat Philippi l. l. p. 189 not. 72, nam hic locus ita, ut ipse eum exhibet, demum a Meiero (Att. Proc. p. 73 not. 23), qui hoc diserte addit, mutatus est, sed male. atque etiam alter locus, quem et Meier et Philippi ascribunt (Schol. Arist. Plut. 277), ita comparatus est, ut supra eum dedi.

[*ἑκάστῳ* sicut apud Poll. est addit lex. Cant.] *ὁπόσον ὀφείλουσιν εἰς τὸ δημόσιον· Λυσίας ἐν τῷ περὶ τῆς εἰσφορᾶς.* cum reliquis cf. schol. Plat. leg. p. 850 C *ἀπογραφή (ἐπιγραφή?) ἐστιν ἡ ἀπαρίθμησις ἢ ἀποσημείωσις τῶν ὀφειλομένων εἰσφορῶν ἑκάστῳ τῶν πολιτῶν, καὶ ἀπογραφεῖς (ἐπιγραφεῖς?) οἱ ταύτην ποιοῦντες καὶ τοὺς μὴ βουλομένους εἰσφέρειν εἰσάγοντες εἰς τὸ δικαστήριον.* non ad hunc magistratum pertinere videntur, quae in lex. Bekk. 187, 14 leguntur *ἐπιγραφεῖς: οἱ γραφόμενοι τὰ τιμήματα,* sed cuiuslibet causae accusatores significare, qui etiam *ἐπιγράφεσθαι τίμημα* dicuntur.[37]) totius Pollucei loci auctor sine ulla dubitatione est grammaticus.

κήρυκες.

Paene eadem tradit schol. Aeschin. I 20 *τὸ γὰρ τῶν Κηρύκων γένος πρόσθεν ἦν ἱερόν. καὶ οὕτω λέγονται κήρυκες περὶ τὰ μυστήρια τὰ τῶν θεῶν ὄντες . . . Ἄλλως· Κηρύκων ἐστὶν ἐν Ἀθήναις γένη τέσσαρα, πρῶτον τὸ τῶν πανάγνων, οἵ εἰσιν ἀπὸ Κήρυκος τοῦ Ἑρμοῦ καὶ Πανδρόσου τῆς Κέκροπος, δεύτερον τὸ τῶν περὶ τοὺς ἀγῶνας, τρίτον τὸ τῶν περὶ τὰς πομπάς, τέταρτον τὸ τῶν περὶ τὰς ἀγορὰς καὶ τὰ ὤνια.* haec e communi cum Polluce fonte hausta esse putaverim, non ex ipso Polluce. quamquam enim saepius auctorem scholiorum codicis q (apud Baiterum Sauppiumque) Pollucem transscripsisse animadverti, in codicibus fm, qui illa habent, nusquam observavi. eandem Cerycis originem memoriae prodidit Androtio in lex. Cant. *Κήρυκες: ὡς Ἀνδροτίων ἐν πρώτῃ Ἀτθίδος, Κέκροπος γενέσθαι τρεῖς θυγατέρας, Ἄγραυλον, Ἕρσην καὶ Πάνδροσον, ἀφ' ἧς ἐγένετο Κῆρυξ Ἑρμῇ συγγενομένης,* quocum consentit Ptolemaeus (Ascalonita?) in schol. Il. *α* 334, cum Andro in schol. Soph. Oed. Col. 1046 eum Eumolpi filium dicat, alii (v. Pausan. I, 38, 3) Mercurii quidem, verumtamen non Pandrosi sed Aglauri. Harp. et

---

[37]) huc refero etiam priorem partem glossae lex. Bekk. 254, 3 *ἐπιγραφεῖς: ἀρχή τίς ἐστιν ἡ τῶν ἐπιγραφέων, ἤ τις ἐν ταῖς δίκαις ἐπέγραφε τὰ ἐπιτίμια τοῖς ἁλισκομένοις. ἢ ἐπιγραφεῖς οἱ ὁρίζοντες καὶ ἐπιγράφοντες τὰς εἰσφορὰς ἑκάστῳ.* quo magistratu quid faceret ignorare se confitebatur Schoemann Att. Proc. p. 743 not. 19. iam supra egimus de eiusmodi magistratu a grammaticis ficto: de *εἰσαγωγεῦσιν.*

Hesych. patrem agnoscunt Mercurium, matrem non addunt; cf. Poll. IV 91. de munere primi praeconis mystico etiam Aristoteles tradidit (ap. Harp. *ἐπιμελητὴς τῶν μυστηρίων*). alia praeconum genera (e. g. *ὁ κῆρυξ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου*) apud Pollucem praetermittuntur: tamen hoc non ipsi Polluci tribuendum esse docet schol. Aeschin. (*γένη τέσσαρα*), neque aliud genus proferunt lexicographi ceteri.

§ 104

ληξίαρχοι.

Numerus lexiarchorum a solo Polluce traditur. de eorum triginta adiutoribus et horum munere cf. Phot. *τριάκοντα: πρῶτον μὲν οἱ κατὰ δήμους* (cod. *πόλιν*) *δικασταί, δεύτερον οἱ κατὰ πόλιν* (cod. *δήμους*) *τριάκοντα, τῆς ἐκκλησίας ἐπιμελούμενοι μετὰ τῶν ληξιάρχων· οὕτως Φρύνιχος* (fortasse recte suspicatur Naber: *Φιλόχορος*, cum Phrynichus grammaticus nusquam a Photio adhibeatur et talia Photius plerumque Philochori fide doceat) et Hesych. *τριάκοντα: οὗτοι ἐχειροτονοῦντο δικασταὶ* (ζ vide cap. II) *Ἀθήνησιν, οἵτινες ἐζημίουν(το) τοὺς μὴ παραγενομένους τῶν πολιτῶν εἰς ἐκκλησίαν.* quae de fune rubricato dicuntur, consentiunt maxime cum Phot. *σχοινίον μεμιλτωμένον: εἰ βραδύνοιεν ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, οἱ τοξόται σχοινίον μιλτοῦντες συνήλαυνον καὶ (κα)τὰ πρατήρια διέκλειον,* quo uberius est schol. Arist. Ach. 22 (unde Suid. v. *σχοινίον μεμιλτωμένον* et *μεμιλτωμένον*). postrema rursus Pollucis verba ita conspirant cum Harp. *ληξιαρχικὸν γραμματεῖον: Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχου, εἰς ὃ ἐνεγράφοντο οἱ τελεωθέντες τῶν παίδων, οἷς ἐξῆν ἤδη τὰ πατρῷα οἰκονομεῖν, παρ' ὃ καὶ τοὔνομα γεγονέναι, διὰ τὸ τῶν λήξεων ἄρχειν· λήξεις δ' εἰσιν οἵ τε κλῆροι καὶ αἱ οὐσίαι, ὡς καὶ Δείναρχος ἐν τῇ α' κατ' Ἡγελόχου συνηγορίᾳ ὑπὲρ ἐπικλήρου* (similiter schol. prius codicis m [apud Baiterum Sauppiumque] ad Aeschin. I 18 et schol. Lucian. Iov. tragoed. 26), ut ex eodem auctore hausta esse eo facilius statuere possimus, quo longius hinc reliquorum testimonia (cf. inprimis falsum vocabuli *ληξιαρχικόν* veriloquium) recedant. communes igitur toto hoc loco fontes Pollucis et plurimorum ceterorum grammaticorum agnoscimus. utrum vero Pollucea uno tenore ex eodem auctore eoque vetusto (Philochoro?) sumpta sint, an e variis,

quales supra posui, partibus (minimum duabus) si non ab ipso Polluce certe ab auctore eius conscriptis, in dubio relinquo. posterius eo commendatur, quod *σχοινίον μεμιλτωμένον* una cum praecedentibus ad comicum eiusque enarratores spectare videtur (noli vero arbitrari me hanc rem a comico fictam iudicare), reliqua ad oratores; deinde quod haec illis satis abrupte adiunguntur, ut huius coniunctionis, cum *ληξιαρχικὸν γραμματεῖον* apud demarchos non apud lexiarchos fuerit, nulla alia causa apparere videatur nisi ipsorum nominum similitudo. prius autem prorsus improbabile ideo non est, quod abrupta illa oratio facile Polluci scriptoris verba nimis contrahenti tribui potest et praeterea revera apud Pollucem idque hunc solum rationis inter lexiarchos et lexiarchicas tabulas intercedentis indicium quamvis obscurum restat verbis *τῶν πολιτῶν ἐγγεγραμμένων ἐν λευκώματι,* quod indicium a reliquis, nisi quid me fugit, plane neglectum observavit C. F. Hermann Staatsalt. 121, 5. praeterea suspicari licet, sicut iam ab aliis factum est, cum lexiarchi *καὶ τοὺς ἐκκλησιάζοντας ἐξήταζον* et hoc lexiarchicis tabulis non adhibitis vix fieri potuerit, ad munus accuratius exsequendum in eorum manibus harum tabularum *ἀπόγραφα* fuisse. quamquam lexiarchos tantum ab *ἀπογράφοις*, non ab ipsis illis tabulis nomen accepisse (vel contra *ληξιαρχικὸν γραμματεῖον* ab iis, apud quos non ipsum, sed *ἀπόγραφον* erat) vix verisimile est. — e Polluce hausit scholiasta nunc depravatus codicis q ad Aeschin. I 18 et haud dubie etiam lexicon Vindobonense p. 119 ed. Nauck.[38])

περιστίαρχοι.

Luce clarior hic Harpocrationis cum Polluce consensus apparet. ita enim ille: *καθάρσιον: Αἰσχίνης κατὰ Τιμάρχου. ἔθος ἦν Ἀθήνησι καθαίρειν τὴν ἐκκλησίαν καὶ τὰ θέατρα καὶ ὅλως τὰς τοῦ δήμου συνόδους μικροῖς πάνυ χοιριδίοις, ἅπερ ὠνόμαζον*

---

[38]) *ληξίαρχοι: οὗτοι τοὺς ἐκκλησιάζοντας ἐξήταζον, καὶ ὁ εἰς ληξιαρχικὸν γραμματεῖον ἀπογραφεὶς ἤδη τὰ πατρῷα παρελάμβανε. λῆξις γὰρ ἡ πατρῷα καλεῖται κτῆσις καὶ ὕπαρξις. πάντες δὲ οἱ πολῖται ἐπὶ τούτοις ἀπεγράφοντο.*

καθάρσια. τοῦτο δὲ ἐποίουν οἱ λεγόμενοι περιστίαρχοι[39]), οἵπερ ὠνομάσθησαν οὕτως ἤτοι ἀπὸ τοῦ περιστείχειν ἢ ἀπὸ τῆς ἑστίας. medium inter Pollucem Harpocrationemque locum tenet schol. Aeschin. I 23 recisis iis, quae in principio et in fine aliunde addita leguntur: ἔθος δὲ ἦν καθαίρειν τὴν ἐκκλησίαν καὶ τὰ θέατρα μικροῖς χοιριδίοις, ἃ καθάρσια ἐκάλουν. καὶ προσηγορεύοντο οἱ περικαθαίροντες περιστίαρχοι. atque in re etiam reliqui grammatici consentiunt[40]), sed auctor ignoratur. nam Ister a Phot. v. περιστίαρχος laudatus similia tradit, verumtamen non ea, ut Pollucem ad hunc auctorem referre possis.

§ 105—106

Primum enuntiatum ex Aristotele fluxit. vide hunc apud Harp. περίπολος: . . . Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ περὶ τῶν ἐφήβων λέγων φησὶν οὕτως· „τὸν δεύτερον ἐνιαυτὸν ἐκκλησίας ἐν τῷ θεάτρῳ γενομένης ἀποδειξάμενοι τῷ δήμῳ περὶ τὰς τάξεις καὶ λαβόντες ἀσπίδα καὶ δόρυ παρὰ τοῦ δήμου περιπολοῦσι τὴν χώραν καὶ διατρίβουσιν ἐν τοῖς φυλακτηρίοις“ . . . eiusdem Aristotelis est glossa Photii περίπολος: οἱ ἔφηβοι περίπολοι τῆς χώρας καὶ φύλακες ἐγένοντο, προγυμναζόμενοι εἰς τὰ πολέμια. at Pollux loquitur de omnibus ephebis, facitne idem Aristoteles? priusquam respondeo, id mihi monendum est, etiamsi Aristoteles de parte tantum epheborum dixisset, nihilominus Pollucem vel eius auctorem parum rei intentum facillime illa ad omnes transferre potuisse. sed bene accidit, quod consentiunt. Schaefer quidem (Der Eintritt der Mündigkeit nach attischem Recht, Demosthenes und seine Zeit vol. III, 2 p. 33 sq.) voluit liberos patrum in bello interfectorum non sicut reliquos ephebos statim post τὸ ἐγγραφῆναι ἐν τῷ ληξιαρχικῷ γραμματείῳ, sed demum uno anno interposito circuitores factos esse; cum autem illi orbi publice armarentur hisque armis induti ad congregatum populum producerentur et cum

---

[39]) sic in omnibus quos collegi locis iisque non paucis scriptum est confirmaturque haec scriptura metro ap. Aristoph. Eccles. 128. quare etiam Polluci restituenda sit.

[40]) praeter schol. Apollon. Rhod. IV 704, qui alia narrat.

hic mos etiam Aristotelis aetate vigeret, de his orbis loqui Aristotelem, huc τὸν δεύτερον ἐνιαυτόν pertinere. contra Schaeferum dixit Dittenberger (de ephebis Atticis, Gotting. 1863) quamquam statim in eo errans, quod Schaeferum arbitrari contendit Aristotelem falso res ad solos orbos pertinentes ad omnes ephebos transtulisse. recte vero monet Aeschinis tempore illum morem abolitum fuisse neque omnino ad Aristotelis locum quadrare; sed qua ipse ratione Aeschinem (III § 154) cum Aristotele conciliare conatus est (priorem scilicet annum in ipsa urbe ephebos exercitationibus operam dedisse conicit), efficere studet, quae fieri non possunt. neuter eorum inspexit Muelleri ad illud Aristotelis fragmentum (20) adnotationem, qui unus verum vidit: „intelligenda verba sunt de concione quae habebatur exeunte τῆς ἥβης biennio, quod excipiebat alterum biennium τῶν περιπόλων.“

Quae Aristoteliis adicit Pollux, falsa esse post Schaeferum nemo iam negabit, sed mirum quantum conspirant cum Harp. ἐπὶ διετὲς ἡβῆσαι: . . . Δίδυμός φησιν ἀντὶ τοῦ ἐὰν ιϛ´ ἐτῶν γένωνται· τὸ γὰρ ἡβῆσαι μέχρι ιδ´ ἐστιν. ἀλλ' οἱ ἔφηβοι παρ' Ἀθηναίοις ὀκτωκαιδεκαετεῖς γίνονται, καὶ μένουσιν ἐν τοῖς ἐφήβοις ἔτη β´, ἔπειτα τῷ ληξιαρχικῷ ἐγγράφονται γραμματείῳ, καθά φησιν Ὑπερείδης ἐν τῷ πρὸς Χάρητα ἐπιτροπικῷ . . . qua re commotus Schaefer, si recte eius verba interpretor, videtur censuisse Pollucem haec ex Harpocratione sumpsisse, id quod nusquam factum est. immo ex illo consensu concludendum est Harpocrationis doctrinam non ipsius propriam esse, sed aliunde haustam. tripliciter autem statuere possumus: aut Didymus, quem Harpocratio citat, e more suo auctoris nescio cuius testimonium apposuit et statim reiecit atque hoc testimonium Harpocratio propriae Didymi sententiae praetulit aut Harpocratio praeter Didymum ipse alterum illum auctorem adhibuit aut communis Pollucis et Harpocrationis auctor ipse iam Didymum attulerat eique vel suam vel alius scriptoris sententiam opposuerat. certius quidquam indagare non potui. illud vero non est cur dubitemus, quin idem auctor etiam iurisiurandi formulam addiderit, in quam ephebi iurabant. praeter Pollucem hanc formulam Stobaeus floril. XLIII 48 servavit. communis origo per se patet. nam quae aliter exhibet Stobaeus, ea fere diversarum lectionum

speciem prae se ferunt, in fine est mutilatus: *καὶ ἵστορες θεοὶ τούτων.*[41]) etiamsi vero haec formula ad eundem auctorem referenda sit, quem modo tam graviter errantem deprehendimus, et Stobaeus quoque hoc ipso auctore usus sit, tamen eam fictam esse non prius mihi persuadebo, quam graviora a viris doctis prolata erunt. id mihi non sufficit, quod pars iurisiurandi apud utrumque desideratur.[42]) — Pollucem nomine addito exscripsit schol. Plat. Alcib. I p. 105 A.

§ 107

ἱεροποιοί.

Etym. Magn. p. 468[43]) *ἱεροποιοί: κληρωτοὶ ἄρχοντες. εἰσὶ δέκα τὸν ἀριθμὸν, οἳ τά τε μαντεύματα ἱεροθυτοῦσι, κἄν τι καλλιερῆσαι δέῃ, καλλιεροῦσι μετὰ τῶν μάντεων, καὶ θυσίας τὰς νομιζομένας ἐπιτελοῦσι, καὶ τὰς πενταετηρίδας ἁπάσας διοικοῦσι, πλὴν Παναθηναίων. ταῦτα δὲ Ἀριστοτέλης ἱστορεῖ ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ* . . .

Etiam Pollucis locus hinc manavit, idque eo clarius apparebit, si cum Roseo Pollucem ita compleverimus: *ἔθυον θυσίας τὰς νομιζομένας καὶ τὰς πεντετηρίδας διοικοῦσι τὴν εἰς Δῆλον κ. τ. λ.*, dummodo hanc mutationem ipsi Polluci, non librario tribuamus. quin autem Etym. Magn. verius ipsius Aristotelis verba tradiderit *τὰς πενταετηρίδας ἁπάσας πλὴν Παναθηναίων*, qua ille fuit brevi pressaque oratione, quin Pollucea auctori debeantur Aristotelem quidem exscribenti, sed aliquatenus quasi suum

---

[41]) Leutsch Philolog. XII p. 279 in utroque scriptore ante *καὶ τὰ ἱερὰ τὰ πάτρια* pro *μετὰ πάντων* emendavit *μετὰ πολλῶν*; Finckh ibid. p. 11 apud Stobaeum vocabulum *ἐμφρόνως* post *κρινόντων* tollit, quippe quae sit varia lectio (cf. Poll.) verbi *ὁμοφρόνως* et e margine in alienum locum irrepserit.

[42]) cf. Plutarch. Alcib. 15, Cic. rep. III 9.

[43]) cuius auctor Roseo p. 444 ex Harpocratione olim integriore sua derivasse videtur, verius Nabero e Photio nondum contracto. Etym. Magni enim auctor non nisi epitome Harpocrationis uti solet, atque haec plerumque scriptorum nomina ab Harpocratione addita omittit.

facienti et doctrinae vel iactandae vel simpliciter adhibendae causa mutanti, dubitare vix licet. neque indoctus erat, quisquis fuit, ille vir, cum bene se habeant res ab illo traditae, modo cum A. Mommsenio (Heortologie, pluribus locis) *τὴν Ἐλευσῖνι* non magna Eleusinia, utpote quae annua fuerint, sed Proërosia intellegamus. quid de illo auctore suspicer, sub finem opusculi mei exponam.

ὀργεῶνες.

Ceteri grammatici non abhorrentia quidem, sed ipsi quoque generaliora tradunt, ut de auctore aut de vinculo, quo cum reliquis conexus sit Pollux, nihil statui possit. perverse autem hoc loco Philippi (Beiträge zu einer Gesch. d. att. Bürgerrechts p. 217) utitur, ut Pollucis testimonio, quod III 52 exstat, fidem abroget. nimirum his duobus locis cum VIII 111 comparatis elucere Pollucem ipsum de ea re nihil certius novisse. cui opinioni, si eam recte interpretamur, ego libentissime subscribo. noli enim dubitare, si Pollux quae ipse sentiret protulisset, quin veterum errores, recentiorum difficultates aucturus fuerit. itaque gratulemur nobis, quod bono Polluci, quae propria ipsius de orgeonibus sententia fuerit, non placuit posteritati prodere. unum eundemque fontem adhibuit Pollux tribus illis locis, sed minime ex eodem huius fontis loco hausit, sed orgeonum explicationem inde, ubi de orgeonibus agebatur, sumpsit, gennetarum (§ 111), ubi de phylis, phraterum (III 52), ubi de phrateribus. quid ipse de his testimoniis sentiam, infra, ubi ad phylas pervenero, uberius exponam.

φράτορες.

Totam hanc memoriam Meier (de gentilitate Attica, Halis 1835, p. 17 sq.) falsam esse iudicavit, qua in re utinam noluisset etiam eo argumento uti, cui simile modo Philippium vidimus adhibentem, scilicet hunc Pollucis locum cum alio alius libri pugnare: hoc enim argumentum nullum est. nuper A. Schaefer (l. l. p. 21), quamquam Pollucis testimonium non ita magni faciens, rem tamen veram putavit. inprimis autem huc facit A. Mommsen (Heortologie p. 306 sqq.), cuius sententiam breviter exponam. infantes per omnes tres Apaturiorum dies (*δορπία, ἀνάρρυσις, κουρεῶτις*) in phratrias introductos

esse (ut in *κοινὸν* vel *φρατερικὸν γραμματεῖον* inscriberentur) simulque *μεῖον* oblatum, ipsa cureotide patres praeterea etiam adultiores in phratrias duxisse, sed non ut iterum inscriberentur, verum phrateribus ostentarentur et commendarentur, quocum fortasse etiam alia coniuncta fuissent, simul eorum capillos tonsos (unde ille dies nomen accepisset) et *κούρειον* sacrificatum esse.[44]) quod si verum est, quam egregie Pollucem tueatur, elucet.[45]) sed postrema huius scriptoris verba cum Meiero et Schaefer et Mommsen (l. l. p. 334) ut falsa reiecerunt. atque hic quidem Pollucis errorem inde ortum esse vult, quod ut Apaturiis infantes, sic Gameliis novae nuptae in phratrias inductae sint, itaque rhetorem hoc cum illo confudisse. qua in re ei assentiri non possum. desideratur sane ad *γαμηλίαν* aliud subiectum atque ad *κούρειον* (scil. mariti), sed animadvertas a Polluce toto loco subiectum accuratius non definiri. desideratur deinde inter utrumque enuntiati membrum alius diei mentio. iam cum vitium non nisi ea re contineatur, quod quaedam perperam desunt: si meminerimus Pollucem plerumque fontem suum magis excerpere quam describere, etiam hoc loco facile statuemus eum complura, quae plane necessaria erant ad verba recte intellegenda, omisisse auctoremque suum inepte contraxisse. posteriora igitur minime, ut plerisque videbatur, ea sunt, ob quae prioribus fidem abrogemus. ceterum hoc testimonium Pollucis peculiare est neque habet apud reliquos grammaticos ullum sui simile.

§ 108

γεραραί.

E communi cum Polluce fonte repetendum est Etym. Magn. p. 227 (apud alios lexicographos exstat etiam nomen *γερα-*

---

[44]) sic enim Mommsenium et, quem secutus est, Boeckhium rem intellegi voluisse arbitror. sin forte statuit a puerorum tonsura (a *κουρᾷ*) diem *κουρεῶτιν* appellatum esse, cum adulescentium introductione *κούρειον* coniunctum fuisse, ita ut a *κούροις* derivatum esset: hoc certe non est verisimile.

[45]) non obstat Polluci, id quod Schaefer l. l. videtur arbitratus esse, quod Isaeus VI 22 *τὸ κούρειον* in priore in phrateres introductione commemorat. nam in adoptione liberorum paulo adultiorum facile duae illae caerimoniae in unam coniungi poterant.

ϱάδες vel *γεϱαιϱάδες*) *γεϱαῖϱαι*: *παϱὰ Ἀϑηναίοις γυναῖκές τινες ἱεϱαί, ἃς ὁ βασιλεὺς καϑίστησιν ἰσαϱίϑμους τοῖς βωμοῖς τοῦ Διονύσου, διὰ τὸ γεϱαίϱειν τὸν ϑεόν. οὕτω Διονύσιος ὁ Ἁλικαϱνασεύς*, itemque Hesych. *γεϱαϱαί*: *ἱέϱειαι κοινῶς, ἰδίως δὲ αἱ παϱ' Ἀϑηναίοις αἱ τῷ Διονύσῳ τῷ ἐν Λίμναις τὰ ἱεϱὰ ἐπιτελοῦσαι τῷ ἀϱιϑμῷ ιδ'*, cf. lex. Bekk. 231, 32. auctorem nescimus. noli enim putare Dionysium Halicarnasensem (lexici Attici conditorem me intellegere Hadriani temporibus florentem apud peritos non est monendum) Pollucis auctorem fuisse, quo falsius nihil esse potest. conferas hac de re, quae infra de proximis huius scriptoris fontibus dicentur.

§ 108—111

Quae his §§ exponuntur aliquo certe vinculo inter se cohaerent, tamen hunc rerum ordinem non eius esse, qui primus haec composuit, facile perspicitur. ego secundum eam rationem, quam in hac operis parte componenda a Polluce adhibitam esse postea demonstrabo, tres partes discerno: *δήμαϱχοι, ναυκϱαϱία, φυλαί.* tertia pars interiectis verbis, quae a *φυλή* derivata sunt, manifesto rursus in duas partes dividitur. priorem, quae phylarum historiam continet, cum ad reliquam quaestionem non pertineat, nunc omitto infra separatim de ea acturus.

Primum igitur de demarchis est agendum. locum ex Aristotele fluxisse a plerisque conceditur, sed illo quidem, aiunt, erroribus corrupto. hoc non omnino negari potest, tamen illud iudicium aliquatenus mutandum erit. ipsa Aristotelis verba omnium optime servavit schol. Arist. Nub. 37, qui ea ex Harpocratione[46]) nondum corrupto transscripsit: . . . *Ἀϱιστοτέλης δὲ πεϱὶ Κλεισϑένους φησί· „κατέστησε καὶ δημάϱχους τὴν αὐτὴν ἔχοντας ἐπιμέλειαν τοῖς πϱότεϱον ναυκϱάϱοις. καὶ γὰϱ τοὺς δήμους ἀντὶ ναυκϱαϱιῶν ἐποίησεν“* . . . quis, quaero, si haec legerit, aliter atque Pollux intelleget?

[46]) v. *δήμαϱχος* et *ναυκϱαϱικά.* apparet igitur, quam immerito Bekker eumque secutus Dindorf Harpocrationis verba in fine posita ut spuria uncis circumcluserint.

igitur Philippi[47]) una cum Polluce nescius etiam Aristotelem ut parum accuratum et errantem vituperavit in tali re. simillima ratione Aristotelem etiam alibi (scil. ubi de Solone agebat) demarchos naucraris et demos naucrariis opposuisse discimus e Photio, quem locum, cum infra identidem ad eum rediturus sim, totum ascribo: *ναυκραρία: τὸ πρότερον οὕτως ἐκάλουν ναυκραρία καὶ ναύκραρος· ναυκραρία μὲν ὁποῖόν τι ἡ συμμορία καὶ ὁ δῆμος· ναύκραρος δὲ ὁποῖόν τι ὁ δήμαρχος, Σόλωνος οὕτως ὀνομάσαντος· ὡς καὶ Ἀριστοτέλης φησί· ...... ὕστερον δὲ ἀπὸ Κλεισθένους δῆμοί εἰσιν καὶ δήμαρχοι ἐκλήθησαν· ἐκ τῆς Ἀριστοτέλους πολιτείας, ὃν τρόπον διέταξε τὴν πόλιν ὁ Σόλων· φυλαὶ δὲ ἦσαν τέσσαρες καθάπερ πρότερον καὶ φυλοβασιλεῖς τέσσαρες· ἐκ δὲ τῆς φυλῆς ἑκάστης ἦσαν νενεμημέναι τριττύες μὲν τρεῖς, ναυκραρίαι δὲ δώδεκα καθ' ἑκάστην· ὁ Κλείδημος δὲ κ. τ. λ.* nihilominus Photium probat Philippi, scholiastam Aristophanis vituperat; quamquam aliquid discriminis esse equidem minime nego. quomodo igitur Aristoteles illa dicere potuit? dixit sine ulla dubitatione, sed non tam late, quam nunc intellegere debemus, patere voluit, sed addidit, quibus accuratius rem exponeret et illa definiret. certe si demarchos pleraque naucrarorum officia a Clisthene accepisse omnes consentiunt, iisdem etiam concedendum est naucrariarum res et condicionem, ad quas illa officia pertinebant, ad demos transiisse. quibus in rebus demarchi in naucrarorum locum non successissent, in quibus demi non successissent in naucrariarum, Aristoteles debebat addere et addidit certe. quae si hodie nusquam leguntur, ea non est Pollucis culpa, non scholiastae Aristophanis, non Harpocrationis, sed communi auctori Pollucis,

---

[47]) Beiträge etc. p. 155 not. 15. male enim scholiastae (et Harpocrationis) verba *καὶ γὰρ τοὺς δήμους ἀντὶ ναυκραριῶν ἐποίησεν*, quae suae sententiae obstare viderentur, a praecedentibus ideoque etiam ab Aristotelis nomine seiunxit. Philippii ratiocinationem reicit etiam Guil. Oncken (Die Staatslehre des Aristoteles, 2. Hälfte Leipzig 1875 p. 457 not. 1, qui liber demum opusculo meo ad umbilicum adducto ad me delatus est), quamquam ipsius de Aristotelio testimonio sententiam minus probo. arbitratur enim Aristotelem revera censuisse a Clisthene naucrarias sublatas esse et in earum locum demos successisse neque ita magnam fidem Clidemi testimonio a Photio in fine v. *ναυκραρία* servato haberi vult.

Harpocrationis, Hesychii (v. *δήμαρχος*) aliorumque placuit illa tantum Aristotelis verba posteritati tradere, ut quae summam totius rei continerent. quo facto quod Polluces in errorem ducebantur, quid est mirum? ceterum ne quis putet Pollucis fontem esse Asclepiadem (schol. Arist. l. l. *καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ Ἀλεξανδρεὺς τοὺς κατὰ δῆμον ἄρχοντάς φησι,* unde Suid. v. *δήμαρχοι* pendet Asclepiade non nominato), conferat de hac explicatione ex etymologia sumpta lex. Cant. v. *ἐπιδήμιος ἄρχων,* lex. Bekk. 237, 8, schol. Arist. paulo ante Asclepiadis locum: *ἔστι δὲ δήμαρχος ὁ τὴν ἐπώνυμον ἀρχὴν ἄρχων*, ipsum Pollucem § 113.

Iam ad locos, qui sunt de naucrariis et de phylarum distributione (§ 111), transeamus, non quo Pollucem haec coniuncta invenisse atque ipsum separasse putem, sed ratio huius quaestionis ita poscit. proficiscamur a verbis *ὅτε μέντοι τέτταρες ἦσαν αἱ φυλαὶ — ἔθνος καὶ φρατρία.* haec sunt Aristotelis, cf. Harp. *τριττύς*: . . . *τριττύς ἐστι τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς· αὕτη γὰρ διῄρηται εἰς γ' μέρη, τριττῦς καὶ ἔθνη καὶ φρατρίας, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ.* iam novimus Aristotelis morem singula, quae commemorarat, statim explanandi, id quod hac in re consentaneum est. et praestitit hoc Aristoteles primum de phratria, cuius postremae mentionem fecerat: schol. Plat. Axioch. p. 371 D *Ἀριστοτέλης φησὶ τοῦ ὅλου πλήθους διῃρημένου Ἀθήνησιν εἴς τε τοὺς γεωργοὺς καὶ τοὺς δημιουργούς, φυλὰς αὐτῶν εἶναι τέσσαρας, τῶν δὲ φυλῶν ἑκάστης μοίρας εἶναι τρεῖς, ἃς τριττύας τε καλοῦσι [καὶ ἔθνη] καὶ φρατρίας, ἑκάστης δὲ τούτων τριάκοντα εἶναι γένη, τὸ δὲ γένος ἐκ τριάκοντα ἕκαστον ἀνδρῶν συνεστάναι. τούτους δὴ τοὺς εἰς τὰ γένη τεταγμένους γεννήτας καλοῦσιν.* nam verba *ἑκάστης δὲ τούτων* ad solas phratrias pertinere, non etiam ad *τριττύας* et *ἔθνη* demonstrat Harp., qui Aristotelis locum tacite exscripsit eumque iam, ut in schol. Plat., voce *ἔθνος* carentem: *γεννῆται*: *οἱ τοῦ αὐτοῦ γένους κοινωνοῦντες. διῃρημένων γὰρ ἁπάντων τῶν πολιτῶν κατὰ μέρη, τὰ μὲν πρῶτα καὶ μέγιστα μέρη ἐκαλοῦντο φυλαί, ἑκάστη δὲ φυλὴ τριχῇ διῄρητο, καὶ ἐκαλεῖτο ἕκαστον μέρος τούτων τριττὺς καὶ φρατρία. πάλιν δὲ τῶν φρατριῶν ἑκάστη διῄρητο εἰς γένη λ', ἐξ ὧν αἱ ἱερωσύναι αἱ ἑκάστοις προσήκουσαι ἐκληροῦντο. ἔστι δὲ παρὰ πολλοῖς τῶν ῥητόρων τοὔνομα* etc. *οὐχ οἱ συγγενεῖς*

μέντοι ἁπλῶς καὶ οἱ ἐξ αἵματος γεννῆταί τε καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους ἐκαλοῦντο, ἀλλ' οἱ ἐξ ἀρχῆς εἰς τὰ καλούμενα γένη κατανεμηθέντες. Φιλόχορος δ' ἐν τῇ δ' φησὶ πρότερον ὁμογάλακτας ὀνομάζεσθαι, οὓς νῦν γεννήτας καλοῦσιν (locus Philochori exstat apud Phot. *ὀργεῶνες: . . . περὶ δὲ τῶν ὀργεώνων γέγραφεν καὶ Φιλόχορος· „τοὺς δὲ φράτορας ἐπάναγκες δέχεσθαι καὶ τοὺς ὀργεῶνας καὶ τοὺς ὁμογάλακτας, οὓς γεννήτας καλοῦμεν*[48]). communem cum Harp. fontem habuit Pollux III 52, ubi Philochorus male cum Aristotele coniunctus est, et Hesych. v. *γεννῆται.* Pollucem revera ibi in universum iisdem, quibus eo, quem nunc tractamus, loco, fontibus usum esse etiam inde probabile fit, quod e verbis cum *φυλή* compositis (§ 110) pleraque l. l. § 51—54 iam prolata sunt.

---

[48]) hoc uberius demonstrare necessitate cogor. Mueller (fragm. hist. Graec. vol. I) nobis quattuor Philochori de homogalactibus fragmenta praebet vel potius nimis liberaliter donat. sed etiam nunc, ubi dudum Dindorf Harpocrationis epitomen integram publici iuris fecit, tam falsas de lexicographis opiniones ferri profecto res est vehementer mira. Muelleri igitur fragmenta sunt haec: fr. 91 ex Harp. *γεννῆται,* fr. 92 e Suid. *γεννῆται,* fr. 93 ex eodem *ὁμογάλακτας,* fr. 94 ex eodem (vel potius Photio, quem Suid. exscripsit) *ὀργεῶνες.* Suidae glossam *ὁμογάλακτας,* cum in optimis codicibus deesset, Bernhardy ut ex altera eiusdem auctoris glossa (*γεννῆται*) interpolatam rectissime eiecit. talia enim saepissime in Suida facta sunt. hic accedunt interpolationis indicia postrema glossae verba: *ζήτει ἐν τῷ Γεννῆται,* quamquam eiusmodi clausulam etiam genuinis, tamen raro, addi non ignoro. porro tota Suidae glossa *γεννῆται* ad verbum ex Harpocrationis epitome descripta est, et epitomatorem hoc quidem loco ipsius Harpocrationis verba inter se commiscuisse et corrupisse aut epitomen ipsam corruptam esse vel caeco apparet. atque his duobus Suidae locis paene omnes alii ut locupletibus alii ut primariis hac in re testimoniis inde a Salmasio et Heraldo usque ad Philippium (Beiträge etc. p. 202 sqq.) et inprimis Gilbertum (die Philochoreischen *ὁμογάλακτες,* Jahrb. f. class. Philol. 1873 p. 44 sqq.) usi sunt! corruunt igitur hi loci, corruunt una cum iis omnia, quaecunque inde demonstrasse illi sibi videbantur: nam de prima quadam gente apud Harp. nihil legitur. itaque restant Harp. et Phot.: et Harpocrationem quidem nullum alium Philochori locum significare et ipsa verba suadent et manifesto orgeonum mentione addita demonstrat Pollux III 52, si cum Poll. VIII 111 et hunc locum cum Harp. *γεννῆται* contuleris. quae ratio inter hos locos intercedat, e disputatione mea infra prolata cognosces. itaque unum restat Philochori testimonium et ex uno Photio hac in re proficiscendum erit.

Videamus nunc, num quid Aristoteliae memoriae de trittye possimus investigare. sicubi ille de hac egerat, necesse est eum ibidem etiam de naucrariis exposuisse. et habemus eius testimonium apud Photium in fine loci supra (p. 40) laudati. tamen ista non ipsius Aristotelis verba esse pro certo sumi potest, sed ea tantum excerpta esse verbis *ἐκ τῆς Ἀριστοτέλους πολιτείας* videtur indicari. conferas autem haec cum Polluce (§ 108), et Aristotelem te habere intelleges, nisi quod apud Pollucem ea desunt, quibus transitus fiebat a phylis ad naucrarias et quae Photius ita exprimit *ἐκ δὲ τῆς φυλῆς ἑκάστης ἦσαν νενεμημέναι τριττύες μὲν τρεῖς*. etiam Hesychius (*ναύκλαροι: δήμαρχοι. ὑπηρέται. (ναύκληροι δὲ ἐρέται.) τινὲς δὲ ἀφ' ἑκάστης φυλῆς δώδεκα, οἵτινες ἀφ' ἑκάστης χώρας τὰς εἰσφορὰς ἐξέλεγον. ὕστερον δὲ δήμαρχοι ἐκλήθησαν*), cum et in prioribus cum Aristotele apud Photium faciat et inprimis, quae Photius inter Aristotelis testimonia habet *ὕστερον δὲ ἀπὸ Κλεισθένους δῆμοί εἰσιν καὶ δήμαρχοι ἐκλήθησαν*, eadem haud dubie rectius in fine servaverit, communem cum Photio originem habet, id quod non negabis, ubi memineris Hesychium testimonia vehementer contracta nobis tradere solere. at in media glossa Hesychius rursus unus omnium cum Polluce consentit. itaque § 108 (locum, qui est de naucrariis, dico) ex Aristotele fluxisse nunc, si accuratiore argumentatione opus erat, manifestum est. conferas deinde Photii Aristotelem etiam cum § 111, nec dubitabis, quin et Pollux (§ 108 et 111) et Photius ad eundem Aristotelis locum pertineant, cum apud Pollucem (§ 111) quoque phylarum distributionem uberior, quamquam de uno *ἔθνει*, explicatio excipiat. res certissima fiet scholio Plat. polit. p. 475 A (ubi errore decem phylae pro quattuor dicuntur): *Ἀθήνησι δέκα μὲν ἦσαν φυλαί. διῄρητο δ' ἑκάστη τούτων εἰς τρία, εἰς τριττύας, εἰς ἔθνη, εἰς φρατρίας. οἱ οὖν ἑκάστης τριττύος ἄρχοντες τριττύαρχοί τε καλοῦνται καὶ τριτταρχοῦσιν*: priora sunt etiam Pollucis (et Aristotelis), posteriora ipsa quoque apud Pollucem leguntur, sed recte post naucrariarum explicationem, quam ab Aristotele repetendam esse modo vidimus. in scholio Plat. haec pars intercidit[49]).

[49]) Rose p. 409 hunc scholiastam Pollucem excerpsisse et male expressisse arbitratur. mirus profecto casus vel mira sagacitate praeditus

Restant ἔθνη, quorum explicatio non nisi apud Pollucem exstat. atque praeclare hic Aristotelis sententiam eatenus servavit, ut in singulis phylis et eupatridas et geomoros et demiurgos fuisse appareat: εἰς τρία μέρη ἑκάστη (scil. φυλή) διῄρητο, καὶ τὸ μέρος τοῦτο ἐκαλεῖτο . . . καὶ ἔθνος . . . τρία δ' ἦν τὰ ἔθνη πάλαι, εὐπατρίδαι, γεωμόροι, δημιουργοί. huius significationis vocabuli ἔθνος vestigium praeterea reperies etiam apud Hesychium δημιουργός: ἐπὶ μὲν τῶν ἀνδρῶν τὸ ἔθνος ἐκλήθη, ὅτι χειροτέχναι ἦσαν καὶ βάναυσοι . . . Aristotelem vero eo quo ego statui loco de tribus illis ordinibus egisse auctor est schol. Plat. Axioch. supra allatus, in quo tamen praeter omissos eupatridas (ut paulo post ἔθνη omittuntur) prima non iusto loco posita esse et ex mea argumentatione elucebit et diserte demonstrabit Harp. v. γεννῆται: . . . διῃρημένων γὰρ ἁπάντων τῶν πολιτῶν κατὰ μέρη, τὰ μὲν πρῶτα καὶ μέγιστα μέρη ἐκαλοῦντο φυλαί. sed ut haec Pollucea optime se habent, sic reliqua gravissimas praebent offensiones. Aristotelemne putasse, ut reliqua omittam, etiam illos ordines (ἔθνη) in sua quemque phyle triginta gentes habuisse? sed res facillime potest explanari. compares Pollucem (inde ab ἑκάστου δὲ ἔθνους usque ad προσαγορευόμενοι) cum schol. Plat. Axioch. et inprimis cum Harp. γεννῆται: agnosces communem originem, Aristotelem iterum (cf. p. 42) cum Philochoro commixtum. itaque non ad ἔθνη sed ad phratrias illa Pollucis pertinent atque etiam τριακάδων mentio, quam schol. Platon. et Harp. omittunt, praeter Pollucem solus Hesych. tangit τριακάς: ἡ τριακοστὴ τοῦ μηνός. καὶ σύστημά τι τῶν πολιτῶν, necessario est eo referenda. restat, ut exponam, quomodo factum sit, ut in tam gravem errorem incideret Pollux (vel potius eius auctor). ἐθνῶν discriptio consentit cum φρατριῶν (apud Harp. et cum breviore apud ipsum Poll. III 52), cum utraque facit apud Pollucem etiam τριττύς in ea re, quod ex triginta gentibus constitisse dicitur.

---

scholiasta, si e Polluce, qui Aristotelia aliquantum mutaverat, describens nihilominus ipsius philosophi verba (apud Harp.) offert. illud „male" quo referam nisi ad numerum phylarum, nescio. sin ex Etym. Magn. v. τριττύς hoc scholion transscriptum putas, obstat eximius in fine consensus cum Polluce. ipsum Aristotelem ab hoc scholiasta citatum supra vidimus.

quae cum quattuor naucrarias continuerit, quomodo illud fieri potuerit, non perspicitur. facile igitur suspicabimur etiam *τριττύας* cum reliquis duabus phylarum distributionibus confusas esse atque huius erroris culpa fortasse ipsius Aristotelis est. qui cum secundum schol. Plat. Axioch. ita locutus sit: *τῶν δὲ φυλῶν ἑκάστης μοίρας εἶναι τρεῖς, ἃς τριττύας τε καλοῦσι [καὶ ἔθνη] καὶ φρατρίας, ἑκάστης δὲ τούτων τριάκοντα εἶναι γένη κ. τ. λ.*, verba *ἑκάστης τούτων* ad omnia tria distributionis genera rettulit communis trium Pollucis locorum (§ 109, § 111, III 52) auctor et singulis illis distributionis generibus (hoc est tribus diversis sui operis partibus, quae erant de trittyibus vel naucrariis, de ordinibus, de phratriis) suo loco, quae ad omnia pariter pertinere sibi persuaserat, adiunxit. in alium errorem alii multi grammatici inciderunt, inprimis Suid. *φράτορες καὶ φρατρίαι καὶ φρατρίαρχος: . . . φασὶ δὲ τὸ αὐτὸ ἔθνος εἶναι [καὶ] τριττὺν καὶ* (codd. *ἤτοι*) *τὴν φρατρίαν ἢ φρατορίαν . . .*

Iam unum reliquum esse video, quod fortasse quispiam vel toti argumentationi meae vel saltem parti eius obesse putet, dico locum Aristotelii operis, ubi de tribus ordinibus egerat. etenim de his eum locutum esse volunt, ubi Thesei res tractabat, cum naucrariarum et trittyum explicationem ad Solonis constitutionem rei publicae pertinuisse Photius diserte testetur. hoc testimonium certum est, illa opinio quo tandem auctore nitatur, videamus. est unus Plutarchus; qui in vita Thesei cap. 25 ordinum illorum constitutioni adiungit hoc Aristotelis testimonium: *ὅτι δὲ πρῶτος ἀπέκλινε πρὸς τὸν ὄχλον, ὡς Ἀριστοτέλης φησί, καὶ ἀφῆκε τὸ μοναρχεῖν, ἔοικε μαρτυρεῖν καὶ Ὅμηρος ἐν νεῶν καταλόγῳ μόνους Ἀθηναίους δῆμον προσαγορεύσας.* equidem facere non possum, quin G. Gilberto (Die Quellen des plutarcheischen Theseus, Philolog. XXXIII p. 60 sqq.) assentiar, qui quamquam Roseum reliquosque nihil moratus Plutarchum totam huius et praecedentis capitis narrationem brevissimo Aristotelis testimonio (quod unum est in hac vita ex *Ἀθηναίων πολιτείᾳ* sumptum) excepto [50]) per Istrum e Philochoro hausisse docuit. primum

[50]) a nullodum, quod sciam, observatum est totum caput 24 ad eundem auctorem referri omnino non posse, ad quem enuntiatum supra a me

enim Heraclides pol. Athen. 2, ad quem potissimum, cum similis sit initio Plutarchei capitis, illi provocant, ipsam ordinum mentionem prorsus omittit. deinde eundem Heraclidem nulla nisi Aristotelii operis excerpta continere praeter Schneidewinum nemo ausus est contendere, demonstrari usque ad hunc diem a nullo potuit.[51]) tum nec lexicographi nec scho-

---

ascriptum pertinet, hoc est ad Aristotelem. nam etiamsi et in cap. 24 (*καὶ τὴν βασιλείαν ἀφεὶς κ. τ. λ.*) et in hoc enuntiato Theseus regno se abdicasse dicitur, tamen hoc secundum Aristotelem fecit, ut vulgi condicionem sublevaret (quomodo recte interpretatur Oncken l. l. p. 416 sq.), in cap. 24 autem nobilium gratia (*τὴν βασιλείαν ἀφείς, ὥσπερ ὡμολόγησε*, promiserat vero illud *τοῖς δυνατοῖς*). sed etiam initium capitis 25 usque ad *πλήθει δὲ Δημιουργῶν ὑπερέχειν δοκούντων* ab eo auctore, cui Plutarchus caput 24 debet, repetendum esse cum id probat, quod per totum illum locum iuste et sine ulla intermissione narratio procedit, tum id, quod e testimoniis secum repugnantibus, quae Plutarchus de eadem re, scil. de Thesei abdicatione regni, profert, alterum non continuo alterum subsequitur, sed demum post narrationem synoecismi et reipublicae constitutionis ad finem perductam ponitur. ceterum, quod cum Onckenio statuamus Plutarchum vel eius auctorem Aristotelis sententiam non recte tradidisse, vix satis causae est. nam si inter argumenta sua Oncken etiam hoc affert: „Was Aristoteles über Begriff und Entstehung des Königthums sagt, lässt schlechterdings nicht zu, dass er in der Abdankung eines verdienten Monarchen eine Förderung der Freiheit erblickt habe": quis testatur Theseum ab Aristotele regem per totam vitam de civitate bene meritum praedicari? sin contendit: „Eine gewaltsame Unterbrechung der durch Theseus gegründeten attischen Monarchie muss aber Aristoteles vorausgesetzt haben": quis ei credet, ubi cognoverit illam sententiam non nisi hoc Aristotelis loco (polit. V 10 p. 1310b 34 sqq.) niti: *ἅπαντες γὰρ εὐεργετήσαντες ἢ δυνάμενοι τὰς πόλεις ἢ τὰ ἔθνη εὐεργετεῖν ἐτύγχανον τῆς τιμῆς ταύτης* (scil. regni), *οἱ μὲν κατὰ πόλεμον κωλύσαντες δουλεύειν, ὥσπερ Κόδρος*? omnino tota hac paragrapho operis sui (p. 413 — 418) Oncken, quae ipse de Theseo sentiat, exponit, sed semper contendit idem Aristotelem dicere debuisse et revera dixisse.

[51]) e. g. Heraclid. polit. Cretens. 3 etiam in verbis conspirat cum uberiore Ephori narratione apud Strab. X p. 482 sqq. sin Schneidewinum sequi mavis censentem talia e fontium communitate, quos Aristoteles et Ephorus adhibuerint, orta esse, concedendum erit etiam illo Plutarcheo loco auctorem capitis 24 et principii capitis 25 ut in cap. 24 Thucydide (II 15), sic in cap. 25 eodem nescio quo fonte uti potuisse, quem Aristoteles usurpaverit. Thucydidem vero a Philochoro adhibitum esse constat.

liastae, quos in tota hac re paene omnes ad Aristotelem referendos esse pro certo potest affirmari, licet plerumque nimis breves sint, Thesei mentionem faciunt. postremum schol. Platon. Axioch. et Pollux auctores sunt Aristotelem, ubi de tribus ordinibus ageret, ibidem etiam trittyes tetigisse. cum his necessario cohaerent naucrariae. quis autem, quaeso, putaverit Aristotelem de naucrariis et trittyibus in Theseo egisse, eadem (alia enim non poterat) in Solone repetiisse? aliter res se habet, quod demarchos iam in Solone commemoravit; cum his enim naucraros comparavit, quo facilius antiquissimorum temporum instituta intellegerentur. ceterum Aristotelem de phylis in universum iam antea egisse e Photio (φυλαὶ δὲ ἦσαν τέσσαρες καθάπερ πρότερον) concludere possumus, nunc, qua ratione populus intra singulas phylas discriptus sit, exponit. etiam de φυλοβασιλεῦσι, quorum ex Aristotele mentionem facit Photius, hoc loco videtur uberius egisse. nam etiamsi hos iam antea, ubi de phylis loquebatur, tractaverat, tamen potuit etiam hic vel optime de iis iterum exponere. scilicet per longum temporis spatium pleraque munera iis adempta et inde a Solone prope nulla alia officia relicta erant, nisi quae ad deorum cultum pertinebant. itaque huc nescio an pertineat, quod Pollux (§ 111) de iis tradit. invenerat ea forte in suo fonte loco a Photio indicato, hoc est in media § 111, sed maluit ante quattuor phylarum mentionem ponere et ceteris verbis cum φυλή compositis adiungere. hunc autem magistratum e reliquis unus Hesych. commemorat φυλοβασιλεῖς: ἐκ τῶν φυλῶν αἱρετοί, οἱ τὰς θυσίας ἐπιτελοῦντες.

Num ex mea expositione cum alia tum id effici possit, quod quidem Schoemann (Gr. Alt. I³ p. 339 not. 1) inprimis contra Philippium, ut videtur, e fontibus demonstrari posse negavit, geomoros et demiurgos non ante Solonem in phylis fuisse, inquirant alii.

φυλαί.

Quae Pollux de variis phylarum nominibus tradit, de his alii aliter iudicarunt. quae cum ita sint et solus inter tot scriptores Pollux illa memoriae prodiderit, aliquantum certe intersit indagare, a quo fonte profecta sint. doleo, quod

hoc mihi non contigit: sed dubito, num unquam investigari possit. non aliena, si in universum temporum ordines et nominum regionis Atticae mutationes spectamus — in singulis differunt — tradit Pausanias I, 2, 6, qui dicat reges deinceps se excepisse Cecropem Cranaum Amphitryonem Erichthonium Atticámque terram a Cranai filia Atthide *Ἀττικήν* appellatam esse, cum antea ei *Ἀκταία* nomen fuerit. multo propius ad Pollucem accedit Apollodorus apud Steph. Byz. (quocum consentit Eustath. ad Dionys. Perieg. 423 omisso Apollodori nomine): *Ἀκτή: οὕτως ἡ Ἀττικὴ ἐκαλεῖτο ἀπὸ Ἀκταίου τινός . . . Ἀπολλόδωρος δὲ τἀναντία φησίν „οὕτω γὰρ ἐκλήθη διὰ τὸ πολὺ μέρος αὐτῆς καθικνεῖσθαι εἰς θάλασσαν· τριγώνου γὰρ οὔσης αἱ συννέουσαι ἐπὶ τὸ Σούνιον ἑκατέρωθεν δύο πλευραὶ παράλιοι τυγχάνουσι, δι' ἃς τῶν ἀπὸ Κέκροπος φυλῶν τεττάρων οὐσῶν δύο προσηγόρευσαν Ἀκταίαν καὶ Παραλίαν.“* quod attinet ad phylas Cranao tributas, unius nomen quamquam paululum immutatum novit idem Steph. Byz. *Διακρία: φυλὴ τῆς Ἀττικῆς, ἣν ᾤκει Πάλλας ὁ Πανδίονος υἱός. οἱ δημόται Διακριεῖς.* reliqua usque ad Erechthei dominationem nomina phylis Atticis apud alium scriptorem, quantum scio, non tribuuntur, sed patet e locis allatis fabellas illas non Pollucis vel eius auctoris proprias fuisse, sed vulgatas inter scriptores non nimis recentes. quae deinde de celeberrimis illis quattuor phylis, tum de decem a Clisthene institutis traduntur, Erechthei mentione excepta sunt eadem, quae Herodotus V, 66 (*Κλεισθένης ἀνὴρ Ἀλκμαιωνίδης, ὅσπερ δὴ λόγον ἔχει τὴν Πυθίην ἀναπεῖσαι . . . μετὰ δὲ τετραφύλους ἐόντας Ἀθηναίους δεκαφύλους ἐποίησε, τῶν Ἴωνος παίδων Γελέοντος καὶ Αἰγικόρεος καὶ Ἀργάδεω καὶ Ὅπλητος ἀπαλλάξας τὰς ἐπωνυμίας, ἐξευρὼν δ' ἑτέρων ἡρώων ἐπωνυμίας ἐπιχωρίων*), post eum alii Pythii Apollinis in novis nominibus eligendis operam apertius referentes memoriae prodiderunt. legitimus phylarum ordo a Polluce sicut a ceteris (si Etym. Magn. v. *ἐπώνυμοι* excipis) neglegitur. in Alcmaeonis nomen, sive corruptela sive errore sive, id quod mihi verisimillimum videtur, utroque vitio ortum est, nomen Clisthenis Alcmaeonidae abiisse luce est clarius. simili sed minus gravi labe infectus est scholiasta Aristid. vol. III p. 331 Dindorf., eadem quae Pollux, sed

variis additamentis aucta, narrans: *τεσσάρων οὐσῶν φυλῶν παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις Καλλισθένης ἢ Ἀλκμαιωνίδης δεδιὼς μὴ* etc. ex uno „*Κλεισθένης ὁ Ἀλκμαιωνίδης*" duo sunt facti, apud Pollucem alter plane evanuit. sequitur duarum phylarum accessio nominumque mutatio, quae paene iisdem verbis habet Steph. Byz. *Βερενικίδαι*: *δῆμος τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς. δέκα γὰρ φυλὰς ἔχοντες Ἀθηναῖοι προσέθεσαν δύο, Ἀντιγονίδα καὶ Δημητριάδα καλοῦντες, ὕστερον δὲ Ἀτταλίδα καὶ Πτολεμαΐδα, διὰ τῶν ἐπωνύμων εὐεργετηθέντες βασιλέων* ... iam tota de phylis narratio apud Pollucem servata quin ab uno auctore repetenda sit, non est cur dubitemus in oratione tam bene cohaerente. in plurimis cum hoc scriptore consentit Steph. Byz., quippe qui etiam quattuor phylarum nomina ab Ionis filiis tracta norit, v. *Αἰγικόρεως*. Pollucis autem auctorem floruisse post 200 a. C. n., quo anno nomen phylae Attalidis primum inventum est, patet, fortasse possumus etiam addere: ante Hadriani aetatem, cum Hadrianidis nulla fiat mentio. auctorem illum accuratius definire nos non posse iam supra indicavi. quamquam de priore parte conatus est F. Haase (Die athen. Stammverfassung, Abhandlgn. d. hist.-philol. Gesellsch. in Breslau I Bd. 1857), qui p. 72 suspicatur fontem Pollucis fuisse Apollodorum, p. 74 paulo confidentius de hac re ut explorata loquitur. nititur eius sententia uno Apollodori loco a me supra allato. nec fugit Haaseum (l. l. not. 21) Apollodorum e quattuor phylis duas tantum nominare, id quod ita declarat, ut Apollodorum illa nomina tamquam appellativa et a regionibus ducta attulisse putet: itaque non mirum esse, quod reliqua duo ibi omittantur. haec quomodo cum ipsius sententia concilientur, non video. nam si Apollodori locum libero animo contemplamur, intellegimus Apollodorum nihil aliud nisi totius Atticae (Actes) nomen declarare voluisse. ad hunc finem adhibuit etiam vetera duarum phylarum nomina, reliqua duo, ex quibus nihil efficere posset, non curavit. certe de phylis illo loco non egit. quodsi cum Polluce de Cecropiarum phylarum numero duobusque nominibus consentit, potuit profecto alio loco de phylis eadem quae Pollux narrare, sed potuit non minore cum probabilitate etiam quivis alius. res igitur etiamnunc integra est relicta. Philippi (Beiträge etc. p. 264)

suspicatur de mutatis phylarum nominibus narrationem a logographis profectam esse, id quod, ut per se non est improbabile, ita nihil nos iuvat, cum sine dubio per plures demum auctores usque ad Pollucem pervenerit.

§ 112

γυναικοκόσμοι.

Priusquam in auctorem inquiro, opus est de re ipsa disserere. e lexicographis huius magistratus unus Hesych. mentionem facit: *πλάτανος: δένδρον, πρὸς ὃ οἱ γυναικονόμοι*[52]) *τὰς ζημίας ἐν λευκώματι ἐξετίθεσαν.* e reliquis scriptoribus Athenaeus p. 245 B et C: *ὅτι δ' ἦν ἔθος τοὺς γυναικονόμους ἐφορᾶν τὰ συμπόσια καὶ ἐξετάζειν τῶν κεκλημένων τὸν ἀριθμὸν εἰ ὁ κατὰ νόμον ἐστί, Τιμοκλῆς ἐν Φιλοδικαστῇ φησιν οὕτως . . . Μένανδρος δ' ἐν Κεκρυφάλῳ . . . καὶ Φιλόχορος δ' ἐν ἑβδόμῃ Ἀτθίδος „οἱ γυναικονόμοι, φησίν, μετὰ τῶν Ἀρεοπαγιτῶν ἐσκόπουν τὰς ἐν ταῖς οἰκίαις συνόδους ἔν τε τοῖς γάμοις κἂν ταῖς ἄλλαις θυσίαις.“*

Ac Boeckh quidem (Atthis d. Philoch., Kl. Schrift. V p. 421 sqq.), cum animadvertisset e Philochori libro septimo tres magistratus (*ἀποστολεῖς, νομοφύλακες, γυναικονόμοι*) laudari, hoc non casu factum, sed ibi reipublicae formam certo aliquo tempore constitutam describi putavit atque hoc tempus nullum aliud esse posse nisi Demetrii Phalerensis, quem labantem rem publicam novis legibus temperasse constat. cum autem *ἀποστολέας* iam Demosthenis aetate fuisse sciamus, hoc satis habuit commemorasse. reliquos duos demum a Demetrio institutos esse contendit. de nomophylacibus sunt, qui Boeckhio obstiterint, de gynaeconomis omnes aut eum secuti sunt aut rem in dubio reliquerunt. Boeckh suam sententiam ita defendit: neminem ante Philochorum Atheniensium gynaeconomos commemorare, Aristotelem (polit. VI, 8 fin.) enim de Atticis magistratibus dicere non posse, cum secundum ipsum a democratiae ratione abhorrerent, et

---

[52]) in hac scriptura praeter Pollucem omnes consentiunt atque etiam ipsius Pollucis codices aliquot habent *γυναικονόμοι* vel *γυναικοκόμοι*. nec dubito, quin haec lectio Polluci quoque restituenda et falsa illa e sequente explicatione orta sit.

Plutarchum, ubi leges Solonis ad mulieres pertinentes exponeret (vit. Solon. 21), gynaeconomos quidem afferre, sed non ut Atticos magistratus. quae Harpocratio de multa mulieribus imposita traderet, quae inhonestius se gererent: ὅτι χιλίας ἐζημιοῦντο αἱ κατὰ τὰς ὁδοὺς ἀκοσμοῦσαι γυναῖκες Ὑπερείδης ἐν τῷ κατ' Ἀρισταγόρας β' εἴρηκεν. Κρώβυλος δὲ ὁ κωμικός φησι τοῦ Φιλιππίδου τὸν νόμον εἶναι τὸν περὶ τούτων κείμενον, ea ad gynaeconomos non referri. denique Timoclem et Menandrum Demetrii aequales legem, de qua Athenaeus ageret, diserte καινὸν νόμον nominare. his in rebus ut cum Boeckhio faciam, a me impetrare non possum. ac primum constat Solonis aetate mulieribus certis rebus lege interdictum fuisse, id quod nisi imposita poena et praeposito magistratu fieri non poterat. in uno delicto quanta haec multa postero tempore, sed ante Demetrium fuerit, ex Harp. cognoscimus. iam compares Aristot. l. l. et IV, 15 med. cum Plutarcho: intelleges eas ipsas res, quas δημοκρατικάς vel δημοτικάς esse Aristoteles negat, iam Solonem in rempublicam induxisse. res igitur Athenis exstabat, cur peculiarem magistratum illam exsecutum esse negemus nullo veteris scriptoris testimonio coacti? illud profecto nihil ad formam rei publicae facit, utrum proprius magistratus munus aliquod administret an eodem alius fungatur, sed sola rei natura Aristoteli spectanda fuit. quae cum ita sint, mihi persuadere non possum δημοτικά hoc loco Aristotelem ipsa Atheniensium instituta intellegere. accedit quod e magistratibus priore loco commemoratis gymnasiarchi et certaminum curatores sine dubio Athenis fuerunt, nomophylaces ante Aristotelem Athenis exstitisse nunc plerique concedunt; soli paedonomi non videntur Atheniensium fuisse, sed Cretensium et Spartanorum. e Plutarcho autem nihil aliud efficitur nisi fortasse — Plutarchus enim hunc locum non satis dilucide composuit — Solonis aetate peculiarem γυναικονόμων magistratum nondum institutum esse. ne vero statuamus, etiamsi Solonis tempore nondum fuerint, eos postea, cum magistratuum numerus multiplicatus sit cumque ad gliscentem licentiam coercendam proprio magistratu opus esse visum sit, constitutos esse, certe nihil obstat. et exstitisse gynaeconomos iam ante Demetrium, si nulla opinione prae-

sumpta agimus, necessario, opinor, ex Harp. cum Polluce collato concludere debebimus. huic sententiae minime, ut Boeckh voluit, obest Philochori testimonium. quamquam enim hunc in libro septimo de Demetrii institutis locutum esse rectissime Boeckh docuit, tamen in eodem libro etiam *ἀποστολέας* protulit, quos ante Phalereum institutos esse scimus. sed non necesse est huc refugere, cum melius rem explicare possim. restat enim adhuc ille *καινὸς νόμος*, quem falso interpretatus est Boeckh. nam apparet officia gynaeconomorum, de quibus Aristoteles loquitur (polit. IV 15 init.), non ad omnes cives pertinuisse, sed ad solas mulieres: eodem modo res se habet apud Pollucem [53]). aliter statuere debemus de Demetrii gynaeconomis (et de Plutarcheis [54]),

---

[53]) causam cur multae in Ceramico vulgatae sint, fortasse comperimus e Phot. *Κεραμεικός: τόπος ἐν ᾧ ἑστήκασιν αἱ πόρναι,* quocum alii grammatici consentiunt.

[54]) cum Plutarchus *τοῖς ἡμετέροις νόμοις* dicat, non video, cur hoc non ad Plutarchi aut patriam aut tempus, sed cum Roseo p. 414 ad Athenienses et ad Demetrii librum *περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας* a Plutarcho oscitanter exscriptum referamus. Rosei sententiam persecutus est Prinz (de Solonis Plutarchei fontibus, Bonnae 1867, p. 26 sq.). hic primum „de his" (scil. Chaeroneae gynaeconomis) inquit „alibi nihil traditum est." quod argumentum non multum sane valet; quid enim omnino de Chaeronea scimus? id autem constat etiam alias urbes praeter Athenas suos gynaeconomos habuisse, cf. Menandrum (rhet. Graec. ed. Walz IX p. 204 sq.) *καὶ γὰρ γυναικονόμους πολλαὶ τῶν πόλεών εἰσιν αἱ χειροτονοῦσαι* et Westermannum in Paulyi encycl. s. v. praeterea haec possunt non minus ad aetatem Plutarchi quam ad certam urbem referri. deinde pergit: „neque intelligimus, quid horum commemoratio in Solonis vita sibi velit." ego sic sentio. verba *ἐπέστησε δὲ καὶ ταῖς ἐξόδοις* usque ad *βαδίζειν χωρὶς ἐκκομιδῆς* videntur revera Demetrii esse, cf. Cic. de legib. II 25 a Prinzio allatum. sed quid hoc ad insequentia? in fine capitis aperte Plutarchus de viris loquitur. igitur, ne verbum *πρόσκειται* omni sententia careat, necesse est Plutarchum in praecedentibus quoque (in funerum commemoratione) non solum de mulieribus, sed etiam de viris locutum esse. sive igitur haec ipsa Demetrii sunt sive non sunt, pergit Plutarchus ita: plurimae harum rerum etiam nostris legibus vetitae sunt, sed cum secundum Solonis leges (viri) simplici multa (dubium est, a quo magistratu) punirentur, nostris legibus id poenae accessit, quod eam magistratus irrogant, quorum ipsum nomen indicat eos proprie ad muliebres mores coërcendos constitutos esse. atque hoc quidem cur Plutarchus ipse addere nequiverit, potuerit solus Demetrius,

qui viros aeque ac mulieres puniverint, qui molestissime ipsas civium domus intraverint et, si quid praeter modum factum videretur, statim intercesserint. haec fuit nova illa atque Atheniensibus inaudita lex, de qua comici queruntur: de *καινῇ ἀρχῇ* sermo non est. etiamsi igitur gynaeconomi iam ante Demetrium fuerunt et hic non novum magistratum instituit, sed tantum veteri novam potestatem addidit, hac ipsa occasione usus quam apte Philochorus in libro septimo de eo magistratu disserere potuerit, nunc per se patet.

His expositis tandem de auctore Pollucis quaestionem instituere poterimus. id mihi effecisse videor gynaeconomos iam ante Demetrium Athenis exstitisse, sed eo solo munere functos esse, quod Pollux describit, Demetrium iis novam potestatem tribuisse, quam solam Philochorus exponit. quamquam vero hic etiam reliqua officia commemorare vel iam ante commemorata repetere poterat et Athenaeus ea, ut quae non ad rem propositam attinerent, omittere, Pollux rursus illa neglegere, quae Athenaeus servavit: tamen, cum hac de re prorsus nihil compertum habeamus, malo Pollucis testimonium auctori tribuere, qui Demetrii instituta nondum noverat, neque ullum aptiorem habeo, quam ipsum Aristotelem, ex quo aut e Philochoro talia sumere solent grammatici. certius hac de re proferre nequeo.

---

causam nullam video. passim enim per hanc vitam Plutarchus institutorum Solonis vel factorum narrationi ex aliis auctoribus haustae suas cogitationes, praecepta, adhortationes, quae ad mores spectant, addidit. ne id quidem e verbis Plutarchi pro certo concludi potest Solonis tempore gynaeconomos nondum fuisse, quippe quorum commemoratio non ad mulieres — et ad has solas coërcendas haud dubie primo instituti sunt — sed ad viros spectet. atque haec res plane eadem est, etiamsi totum locum Demetrio tribuere vis. addit Prinz haec: „aptissime contuleris etiam Plutarch. Aristid. c. 27 *αὐτὸς μέντοι φησὶν ὁ Δημήτριος νομοθετῶν ἀντὶ τριωβόλου δραχμὴν ἑκατέρᾳ τάξαι τῶν γυναικῶν* (neque hoc fragmentum apud Muellerum invenitur).“ sed hic non de multa sermo est, sed de beneficio; neque Mueller hoc fragmentum neglexit, sed bene eo, quo ipso Plutarcho monente pertinet, rettulit: ad Demetrii de Socrate librum (frgm. 15). ceterum noli arbitrari me eum esse, qui eiusmodi socordiam Plutarcho indignam censeam. sed puto talia non prius scriptori ulli imputanda esse, quam si certa res sit ac dubitatione careat. – Rosei sententiam improbat etiam Oncken, cf. eius librum not. 47 laudatum p. 425 not. 5.

οἱ εἴκοσι.

Polluci similia exstant in Andoc. orat. de myster. 80 sqq. hic enim postquam triginta tyrannorum dominationem, tum liberae reipublicae restitutionem commemoravit, ita pergit: *εἵλεσθε ἄνδρας εἴκοσι· τούτους δὲ ἐπιμελεῖσθαι τῆς πόλεως, ἕως ἂν οἱ νόμοι τεθεῖεν· τέως δὲ χρῆσθαι τοῖς Σόλωνος νόμοις καὶ τοῖς Δράκοντος θεσμοῖς. ἐπειδὴ δὲ βουλήν τε ἀπεκληρώσατε, νομοθέτας τε εἵλεσθε κ. τ. λ.* Pollucis auctor fortasse Andocide usus est. sed quominus hoc pro certo habeam, id me impedit, quod cum legum cura ex hoc loco non nisi errore viginti illis viris tribui poterat — hanc solam iis assignat schol. Aeschin. I 39, qui unus praeter Pollucem et Andocidem huius magistratus mentionem facit — tum de *ἀριστίνδην* electis apud Andocidem sermo omnino non est.

§ 113

κρηνοφυλάκιον.

Bene Schoemann (Att. Proc. p. 716 not. 40) animadvertit non sana esse verba *ἐν ταῖς πρὸς ὕδωρ δίκαις· ἐπιμελητὴς δέ τις*, cum aqua in causis *πρὸς ὕδωρ* e clepsydra in unoquoque dicasterio posita fluxisset. in eo tamen erravit, quod verba *ἐν ταῖς πρὸς ὕδωρ δίκαις* in fine post *κλεψύδρας* collocare voluit. nihil aliud nisi particulam *δέ* post *ἐπιμελητής* tollendam et post *ἐν* inserendam esse interpunctione ante *ἐν* facta demonstrant duae Photii glossae, quarum utraque partem Pollucei loci praebet: *κρηνοφύλαξ: λέων χαλκοῦς ἐπὶ κρήνης δι' οὗ τὸ ὕδωρ ἐφέρετο· ἦν δὲ καὶ ἀρχή τις Ἀθήνησιν* et *ἐφ' ὕδωρ: ἐν ταῖς πρὸς ὕδωρ δίκαις ἐλάγχανεν ὁ ἐπιμελησόμενος τούτου.* adde eiusdem priorem glossam *ἐφ' ὕδωρ: ἐπιμελητὴς κλεψυδρῶν ἐν δίκαις.* sed vereor, ne illa emendatione ipsum Pollucem corrigamus. tamen apparet res plane diversas apud Pollucem coniunctas esse neque hoc ab alio auctore nisi a grammatico quodam eoque compilatore factum est.

θεωρικά.

Hunc locum parum dilucide compositum esse unusquisque videt, quare etiam de sententia non conveniunt. id inprimis quaeritur, quo enuntiatum *ὅπερ καὶ τριώβολον κ. τ. λ.*

referendum sit. quominus ad δικαστικόν revocemus, impediverit Boeckhii auctoritas, qui demonstrare studuit (Staatsh. I p. 327 sqq.) iudiciariam mercedem primo unum obolum fuisse[55]), tum tres, numquam διώβολον fuisse. quamquam confiteor Boeckhium mihi suam sententiam non probasse, tamen hac in re ei adversari ego non audeo. ne igitur διώβολον iudicum unquam exstiterit, iam aliunde Polluci auxilium ferre conabor. cum enim ceteri grammatici varia de theoricis tradant, eximie cum Polluce facit unus Hesych. (unde fortasse et e Photii glossis Etym. Magn. p. 448) θεωρικὸν ἀργύριον: τὸ εἰς θεῶν τιμὴν καὶ ἑορτὴν διδόμενον θεωρίας ἕνεκα τοῦ καὶ τοὺς πένητας μετέχειν τῶν θεωρι(κ)ῶν. καὶ πάντα τὰ διανεμόμενα θεωρικὰ ἐλέγετο. hinc veram sententiam enuntiati ab ὥσπερ incipientis cognoscimus. itaque totum locum etiam sic poterimus intellegere: pecunia, quae populo distribui solebat, generali nomine etiam ἐκκλησιαστικόν et δικαστικόν complectente θεωρικόν appellata et tres et duo et unus obolus fuerat. si hoc modo ὅπερ ad θεωρικόν referimus et, quae in medio exstant, ita, ut certe Hesychio collato debemus, interpretamur, nulla offensio remanebit nisi forte difficilis verborum constructio. sed hunc quoque Pollucis locum e pleniore vehementer contractum esse cum Hesychii glossa supra allata probat, tum eiusdem altera haec: θεωρικὰ χρήματα: τὰ εἰς θεῶν τιμὰς καὶ ἑορτὰς διδόμενα ἐν τοῖς Παναθηναίοις καὶ Διονυσίοις. ἅτινα ἐν τῷ θεάτρῳ ἐδίδοτο, καὶ ἐκ τοῦ θεάτρου συνήγετο αὐτὸ [με]μισθωμένου τόπου. harum enim glossarum utramque ex una eademque ampliore glossa fluxisse, si initiorum consensum respicimus, admodum est verisimile (cf. cap. II). ceterum si cui Boeckh persuasit et mea interpretatio non placet, ita ut malit Pollucis (vel auctoris) errorem statuere, equidem pro meo scriptore pertinaciter non reluctabor. auctorem ignoro.

ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως.

De hoc magistratu tacent reliqui grammatici omnes, neque ego habeo, quod loquar.

---

[55]) fortasse huius memoria exstat adhuc apud Hesych. ὀβολοί: ... καὶ ἐν ἄστει δικαστικοὶ μισθοί.

§ 114—115

Ducum nomina, quae in principio paragraphi exstant, puto Pollucem e memoria protulisse. praeter lochagos iam leguntur § 87, praeter lochagos et strategos etiam § 94, omnes autem cum multis aliis commemoraverat I 128.

ἑλληνοταμίαι.

Varia de his tradunt grammatici, quorum plurimos recensuit Boeckh (Staatsh. I p. 241 sqq.). de principio Pollucei loci severius videtur iudicasse, postrema certe recte adnotat magis ad episcopos quam ad hellenotamias pertinere. cf. cap. II.

ὑπηρεσίαι.

Quos deinde magistratus magis tangit Pollux, quam declarat, eos haud dubie ex eo loco fontis sui sumpsit, ubi de *ὑπηρεσίαις* disserebatur. grammatici compilationem esse vel e Demosthene bis citato satis apparet. fuerunt autem, qui Pollucem ob hunc locum increparent, neque immerito, quamquam mihi de ipsa causa aliter videtur. nam si illius loci magistratus ad *ὑπηρέτας* referuntur, falsum id esse facile perspicitur; fuerunt enim maximam partem summae auctoritatis, id quod ne grammaticis quidem plane ignotum erat: de *τειχοποιοῖς* cf. Poll. I 161, de *ἱεροποιοῖς* elucet ex eodem I 12, de *βοώναις* v. Harp. s. v. iam vero *ζητητάς* quamvis cum antecedentibus arte coniunctos (*ὁμοίως*) nihilosetius non *ὑπηρεσίαις* tribuit Pollux, sed *διακονίαις*, qua re eo adducor, ut etiam praecedentes ut diaconos prolatos esse suspicer. id enim animadvertendum est, si *ἱεροποιούς* intellegis *ἐπιμηνίους*, omnes exceptis practoribus extra ordinem aut semper constitutos esse aut constitui potuisse. Pollux igitur vel, ut mihi probabilius est, iam eius auctor dupliciter erravit: primum *ὑπηρεσίας* cum *διακονίαις* vel *ἐπιμελείαις* [56]) confudit — et hoc quidem quam facile delinqui potuerit a serioris temporis grammatico, vides — deinde in horum numerum male [57]) rettulit practores, quos extraordinarios

---

[56]) cf. C. F. Hermann Gr. Staatsalt. 147, 3.

[57]) hac in re nescio an Pollux auctorem suum non satis intellexerit: certe *τάχα* vocabulum dubitationem quandam significans ab ipso Polluce persaepe usurpatur. quamquam in tali re nihil certius suspicari licet.

fuisse minime verisimile est. de *ἀποδέκταις*, quales Pollux hic profert, aliunde, quod sciam, nihil novimus; reliqui, si Polluci credimus,[58] omnes a Demosthene commemorantur, cf. inprimis XXI 171 *ἱεροποιὸν καὶ βοώνην. σιτώνης* a reliquis grammaticis explicatur aut *ὁ προεστὼς τοῦ δημοσίου σίτου* aut *ὁ τὸν σῖτον ἀγοράζων.* quod attinet ad practores, ipse Pollux auctorem indicat: est Dem. LVIII 48 *οὐδεὶς παρέδωκε τοῖς πράκτορσι τὰ ὀνόματα*; forma *πρακτῆρες* hodie in veterum operibus nusquam legitur, sed demum labentis graecitatis est. *ζητητῶν* denique memoriam habet e Dem. orat. in Timocrat. 11. sed cum apud Demosthenem de iis *ζητηταῖς* sermo sit, qui a publicis debitoribus pecunias exigebant, Pollucis explicatio, ni fallor[59]), ad alterum *ζητητῶν* genus spectat, quorum in Andocidis orat. de myst. saepius mentio fit et qui in varia delicta inquirebant. eadem ratio videtur esse Harpocrationis glossae *ζητητής*: *ἀρχή τις Ἀθήνησι κατὰ καιροὺς καθισταμένη, εἴ ποτε τοὺς ἀδικοῦντάς τι δημοσίᾳ δέοι ζητεῖν. Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους καὶ Ἀνδοκίδης ἐν τῷ περὶ ἐνδείξεως* . . . (in hac oratione nunc deperdita utrum genus commemoratum sit, nescimus).

ταξιάρχους cum antecedentibus non cohaerere et rei natura manifestum est nec particula *μέντοι* a Polluce quidquam aliud nisi simplicem transitum significari[60]) persuasum habeo. revera non tam taxiarchorum munus describitur, quam *παραστίζειν* vocabulum declaratur. qua in re Pollux nullum socium habet praeter Hesych., quamvis huius glossa vehementer sit depravata: *παραστίζουσα* (*ἢ παραστίζων ἢ παραστιχθείς*): *ἐπ[ε]ὶ τῶν* † *ἀνακλυσετῶν ἀφυστερούντων τὰ ὀνόματα παρέστικται.* (*Σώφρων δὲ κεντήματά φησιν.*) *ἄλλοι, ὡς ἀπόντα τινά. παραστίζουσα* (cod. *παραστήσουσα*) *σημειουμένη.*

---

[58]) nam *τειχοποιούς* quoque ad Demosth. refert I 161. equidem non inveni, nisi forte Pollux respexit Aeschin. III 17, qui Demosthenem loquentem inducit: *τειχοποιός εἰμι· ὁμολογῶ.*

[59]) et acceperunt ita etiam reliqui.

[60]) cf. e. g. § 132.

πρυτανεία.

Haec non ex Aristotele ab Harp. citato petita esse posse neque omnino e scriptore ante annum 307 a. Chr. n. florente patet e duodecim phylarum mentione. atque de his Polluci similia manifesto quidem nullus alius grammaticus refert, tamen huc pertinere censendum est, quod in lex. Bekk. 409, 23 *ἀντωμοσία: . . . πρυτάνεια* (sic) *δέ, ὃ τῷ ταμίᾳ καταβάλλει ἕκαστος, ὅπως εἰσαχθῇ ἡ δίκη. λέγεται δὲ καὶ χρόνος τις Ἀθήνησιν ὡς ἂν ὁ μηνιαῖος, ὃν ἐπρυτάνευον αἱ φυλαί* et in Timaei lex. Plat. *πρυτανεία: μηνιαία φυλῆς ἀρχή* legitur, cum etiam grammaticos diserte inter mensem et prytaniam discrimen statuere videamus (cf. schol. Aeschin. I 104 et Ammon. *πρυτανεῖα: . . . πρυτανεία δὲ θηλυκῶς ὁ χρόνος. διῄρητο γὰρ παρὰ Ἀθηναίοις ὁ ἐνιαυτὸς εἰς δέκα πρυτανείας, ὅσαι καὶ φυλαὶ ἦσαν, καὶ ἐπρυτάνευεν ἑκάστη φυλὴ κατ' ἐνιαυτὸν ἅπαξ. ὅθεν καὶ τοὺς μισθοὺς καὶ τὰ ἐνοίκια κατὰ τὰς πρυτανείας* [*οὐ*] *κατὰ μῆνα ἐτέλουν.*), ubi de decem phylarum tempore loquuntur. sed auctorem nominare nequeo.

§ 116

πυρφόρος.

Hunc fortasse intellegit Photius *πυρφόρος: πῦρ φέρων.* nam quae sequuntur: *πυρφόρους δὲ ἔλεγον τοὺς ἱερεῖς τοὺς ἐπιβώμιον πῦρ ἀνάπτοντας*, quamquam Polluceis non dissimilia sunt, tamen sicut reliqua glossae pars ad proverbium *οὐδὲ πυρφόρος ἐλείφθη* declarandum videntur spectare. eadem sed multo breviora habet Hesych. *πυρφόρος: ὁ πῦρ φέρων. καὶ ὁ μόνος διασωθεὶς ἐν πολέμῳ*, ubi vides aperte diversas res coniungi.

σύγκλητος ἐκκλησία.

Schol. Aeschin. II 72 *σύγκλητος ἐκκλησία ἐκαλεῖτο ἡ μὴ κατὰ τὸν νόμον μηδὲ κατὰ τὸ ἔθος γενομένη, ἀλλὰ ἐκ τοῦ παραχρῆμα καὶ κατὰ χρείαν τινά, οἷον εἴ τι ἐξαίφνης κατεπείξειεν· αἱ δὲ κατὰ μῆνα ὡρισμέναι ὀνομάζονται κύριαι*, paulo brevior Harp. s. v. Demosthenis Ctesiphonteam laudans, et sic fere etiam reliqui. *κατακλησίαν* praeter Pollucem unus Hesych. explicat: *κατακλησία: ὅταν μεῖζόν* (cod. *ὁ τῶν μειζόνων*)

τι δέῃ πρᾶγμα ἐπικρῖναι, κατακλησίας ἐποίουν τῶν ἐν τοῖς ἀγροῖς οἰκούντων; nam in Ammonii glossa ipsum lemma differt: *ἐκκλησία καὶ κατάκλησις διαφέρει. ἐκκλησίαν μὲν γὰρ ἔλεγον οἱ Ἀθηναῖοι τὴν σύνοδον τῶν κατὰ τὴν πόλιν. κατάκλησιν δέ, ὁπότε καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀγρῶν συνεκάλουν πρὸς ἐπίσκεψιν μείζονα τῶν πραγμάτων.* auctorem nescio.

ταμίας.

Frequentissima et navium sacrarum et nautarum earum est apud lexicographos et scholiastas commemoratio. id tamen observavi: ubi complures harum navium proferunt grammatici, paene omnes Demetriadem quoque et Antigonidem (e Philochoro) addunt, schol. Dem. XXI 171 praeter has etiam Ptolemaidem. Paralum Salaminiamque, ut apud Pollucem, solas commemorant e lexicographis tantum lex. Bekk. 293, 3 et Phot. in altera[61]) glossa *πάραλος*, sed semper scholia in Aristophanem[62]). quare putaverim etiam Pollucea e (Didymi) commentario vel lexico comico manasse. facile ad comicum etiam vox *παραλῖται* spectaverit, quae hodie nusquam videtur legi et quam praeter Pollucem solus Hesych. habet: *παραλίτης: ὁ ἀπὸ τῆς Παράλου· ἡ δὲ *** ἐστιν ἱερὰ ναῦς*[63]). Boeckh (Staatsh. I p. 236), cum primum Pollucei loci enuntiatum ad Aristotelem referat, quo argumento usus sit, nescio. certe tum verbum *λειτουργεῖν* latiore significatione (= operam navare, officia

---

[61]) utor Naberi editione, qui perversissimo iudicio epitomen Harpocrationis a Photio lexico suo insertam omisit.

[62]) Av. 147. ib. 1204. Eccl. 38. Ran. 204. ib. 1071.

[63]) hac occasione usus Bernhardyi errorem una cum errore Rosei corr*e*xerim. qui diversum in modum explicant Phot. (= Suid.) *πάραλος*: ... *ὁπότε δὲ ἐκ τῆς ἀλλοδαπῆς μεταμέμψασθαι στρατηγὸν ἠβούλοντο ὥσπερ Ἀλκιβιάδην ἀπὸ Σικελίας, τῇ παράλῳ ἐχρῶντο· λέγεται δὲ ἡ αὐτὴ καὶ Σαλαμινία*... ille ad Suid. s. v. vult grammaticos indicare „navem publicis usibus destinatam nunc Salaminiam appellari nunc Paralum neque ministerii fines prorsus accurate discretos fuisse.“ hic p. 443 errorem agnoscit, sed ex Ammoniade, cui revera antea Salaminiae nomen fuerat, cum Paralo commutata ortum esse censet. at fuerunt, qui Paralum Salaminiamque easdem esse putarent scilicet prava scriptura Arist. Av. 1204 (*Πάραλος ἢ Σαλαμινία* pro *ἡ*) commoti, id quod e scholio ad h. l. intellegitur.

praestare) intellegendum sit, qua sine dubio in hac re Aristoteles uti non poterat, poterat fortasse grammaticus eius verba non cum fide reddens. insequentia, de quibus antea dixi, certe Aristotelis non sunt, quem ob lexici Cant. testimonium[64]) ita fere scripsisse statuendum est, ut Photius habet: *ταμίαι: . . . εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλοι ταμίαι ἄρχοντες χειροτονητοὶ ἐπὶ τὰς ἱερὰς καὶ δημοσίας τριήρεις, ὁ μὲν ἐπὶ τὴν πάραλον, ὁ δὲ ἐπὶ τὴν τοῦ Ἄμμωνος* (etiam praecedentia ex Aristotele fluxerunt).

§ 117—121

Paragraphos 117—124 uno tenore a Polluce e fonte suo descriptas esse censeo, id tantum concedo, quamquam mihi minus verisimile videtur, eum fortasse in fine § 121 desiisse et reliqua ex alio fontis sui loco sumpsisse. principium totius loci et finem satis fideliter videtur descripsisse: quae ibi falsa deprehendimus, ea potius auctori eius tribuamus. at in medio (§ 121—122) dormitabat profecto Pollux vel nimis festinabat (cf. eius praefationem ad lib. VIII), etsi hic quoque haud dubie quaedam auctori erunt assignanda, sed accuratius hoc definiri nequit. sat multa viri docti de prioribus paragraphis, ubi de capitalibus dicasteriis disseritur, disputaverunt, plerique, ut mihi quidem videtur, parum recte. horum opiniones semper afferre nihil attinebat, facile unusquisque eas cum meis poterit comparare. manavit vero totus, quem supra circumscripsi, locus partim e peripateticis, partim ex Atthidum scriptoribus, partim e grammaticis. multa unde originem duxerint, nunc ne suspicari quidem licet. quod autem de parte huius loci nuper prolatum est[65]) „seine Aussagen, wo sie von dem anderweitig Bezeugten abweichen, oder sonst nicht zu belegen sind, dürfen kaum als Zeugnisse aufgestellt werden“, mihi quidem illud audacius videtur in scriptore, qui persaepe falsissimis continuo verissima adiunxit. immo semper tenendum erit praeclarum illud Schoemanni „diserta antiquitatis testimonia plus haud dubie

[64]) *Πάραλος καὶ Σαλαμινία: . . . Ἀριστοτέλης δὲ Ἀμμωνιάδα καὶ Πάραλον οἶδε.*

[65]) Philippi, Der Areopag und die Epheten, Berlin 1874, p. 22.

valere debent, quam recentiorum vel ingeniosissimae coniecturae."

Recte iam observaverunt §§ 117—120 complura e Demosthenis Aristocratea, inprimis § 65—79, hausta esse, sed num tam multa, quam Philippio videbatur, merito dubitari potest. satis erit unum exemplum protulisse. Dem. l. l. § 69 ita dicit: τὸν πρότερον ἔξεστιν εἰπόντα λόγον μεταστῆναι, Pollux § 117 μετὰ δὲ τὸν πρότερον λόγον ἐξῆν φυγεῖν, πλὴν εἴ τις γονέας εἴη ἀπεκτονώς. censet Philippi (l. l. p. 96 not. 38) Pollucem e Demosthene hausisse et reliqua nescio unde — nusquam enim alibi traduntur — addidisse. tria autem statui possunt: aut Pollucis auctor e Demosthene hausit et cetera nullo alio auctore adhibito ipse confinxit aut priora e Demosthene sumpsit, posteriora ex alio auctore, aut totum locum ex alio descripsit. primum nulla certa ratione cogente statuere levitatis est, non verae criticae artis. restant igitur reliqua duo. atque ex his quidem utrum praeferendum sit, difficillimum est ad diiudicandum. si enim verba πλὴν εἴ τις γονέας εἴη ἀπεκτονώς scriptori alicui debentur, in tali re idem scriptor sine ulla dubitatione eodem loco similia iis addidit, quae apud Pollucem praecedunt et apud Demosthenem sola exstant — sine his enim illa cogitari plane non possunt. potest igitur totus locus ex illo scriptore solo fluxisse idque statuendum erit, nisi verba (hoc loco Demosthenis et Pollucis) tam manifesto inter se conspirant, ut de tertio vix cogitari possit. atque talis consensus mihi eo de quo agimus loco esse non videtur. etiamsi autem priora Demosthenis essent, tamen quin posteriora et ipsa locupletis auctoris sint, non prius dubitare licebit, quam idoneis argumentis ea falsa esse demonstratum erit. saepius enim apud Pollucem, qui paene semper nomina auctorum omittit, duorum testimonia ita coaluerunt, ut, nisi aliunde originem sciremus, ne suspicaremur quidem in uno enuntiato nos duos auctores habere. provoco ad luculentissimum huiusmodi exemplum: δύο δ' ἦσαν, ὁ μὲν τῆς βουλῆς, ὁ δὲ τῆς διοικήσεως (§ 99). elucet igitur, quanta in his rebus cautio adhibenda sit. nam quod de hoc loco disputavi, idem in complures nostri scriptoris locos valet. iam singula perlustremus.

δικαστήρια Ἀθήνησιν.

Ἄρειος πάγος.

Earum rerum, quae de Areo pago traduntur, videtur nulla e classico illo Demosthenis loco sumpta esse. paene enim omnia ibi desunt, cum ipse Demosthenes inprimis fabulas proferat, quae grammaticos mirum quantum delectabant. et agit de his grammaticorum reliquorum pars (ex Hellanico et Philochoro), Pollux eas neglegit. ob hanc causam eamque, quam modo exposui, ne fugae quidem post priorem orationem permissae mentionem e Demosthene sumptam putaverim (ex eo vero hausit schol. Aeschin. III 171). deinde num forte verba *ἐγίνετο δὲ διωμοσίᾳ καὶ μετὰ τὴν διωμοσίαν κρίσις* e Demosth. § 71 fluxerint, mihi non constat (*διωμοσίαι* in *φονικαῖς δίκαις* profert etiam lex. Bekk. 239, 23). tamen totum locum grammatico compilanti deberi vel id documento esse potest, quod ea, quae de novem archontibus narrantur, tam importuno loco interposita sunt. ego tres partes discerno: primam usque ad *δευτέρᾳ*, secundam usque ad *προσετίθεντο*, tertiam reliqua continentem. ac primae quidem principium e Dem. XXII 24 sumptum est: *γέγραπται γὰρ ἐν τῷ νόμῳ τὴν βουλὴν δικάζειν φόνου καὶ τραύματος ἐκ προνοίας καὶ πυρκαϊᾶς καὶ φαρμάκων, ἐάν τις ἀποκτείνῃ δοὺς* (cf. legem subditiciam ibid. § 22). ut vero etiam reliqua ad hanc partem assumam, commoveor cum rerum propositarum quadam continuatione, tum Luciani loco aperte ad eundem fontem pertinentē Anachars. 19: *ὁπόταν γὰρ ἀνελθοῦσα* (scil. *ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου*) *εἰς τὸν πάγον συγκαθέζηται φόνου ἢ τραύματος ἐκ προνοίας ἢ πυρκαϊᾶς δικάσοντες, ἀποδίδοται λόγος ἑκατέρῳ τῶν κρινομένων καὶ λέγουσιν ἐν τῷ μέρει ὁ μὲν διώκων ὁ δὲ φεύγων ἢ αὐτοὶ ἢ ῥήτορας ἀναβιβάζονται τοὺς ἐροῦντας ὑπὲρ αὐτῶν. οἱ δὲ ἔστ' ἂν μὲν περὶ τοῦ πράγματος λέγωσιν, ἀνέχεται ἡ βουλὴ καθ' ἡσυχίαν ἀκούουσα*[66]) · *ἢν δέ τις ἢ φροίμιον εἴπῃ πρὸ τοῦ λόγου, ὡς εὐνουστέρους ἀπεργάσαιτο αὐτούς, ἢ οἶκτον ἢ δείνωσιν ἔξωθεν ἐπάγῃ τῷ πράγματι . . . παρελθὼν ὁ κῆρυξ κατεσιώπησεν εὐθὺς κ. τ. λ.* reliqua commemorare Luciani

---

[66]) haec sui consilii causa addidit Lucianus.

nihil intererat. similia iis, quae in secunda parte leguntur, etiam alii habent, e Pollucis fonte sua derivavit auctor argumenti II in Dem. orat. adv. Androt. *ὡς γάρ τινες τῶν ῥητόρων* (non tam oratores significare videtur, quam rhetores et grammaticos) *λέγουσι, κατ' ἔτος οἱ ἐννέα ἄρχοντες αὐτῇ* (scil. *τῇ βουλῇ τῇ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ*) *προσετίθεντο· ὡς δέ τινες, ὅτι μόνον οἱ ἓξ θεσμοθέται.* Maximus in prologo ad Dionys. Areopagit. (edit. Antwerp. 1634 p. XXXIV) hac in re ad Androtionem provocat. num inde etiam Pollucea repetenda sint, dici non potest. secundam partem cum mutilato primae initio coniungit lex. Bekk. 310, 28. tertia pars ex oratorum locis manavit: posteriora manifesto sunt Demosthenis XLVII 72 *κελεύει γὰρ ὁ νόμος τοὺς προσήκοντας ἐπεξιέναι μέχρι ἀνεψιαδῶν (καὶ ἐν τῷ ὅρκῳ διορίζεται ὅ τι προσήκων ἐστί), κἂν οἰκέτης ᾖ τούτων τὰς ἐπισκήψεις εἶναι,* sed e corrupto oratoris codice[67]) hausta. priora ex Antiph. V 11 contracta esse suspicer: *ἅπαντα τὰ δικαστήρια ἐν ὑπαίθρῳ δικάζει τὰς δίκας τοῦ φόνου.* hi loci saltem id commune habent, quod neuter diserte ad Areopagum refertur; immo Demosthenes *τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ* respexit (cf. eius orationis § 70).

τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ.

In huius dicasterii descriptione paene omnia sunt Phanodemi. vid. Suid. (recte Dindorf ad Harp. s. v. adnotat, cum eadem Eustath. p. 1419 fin. Pausaniae lexicographo tribuat, Suidam haec e Photii parte nunc deperdita sumpsisse, qui saepissime Pausaniae lexicon exscribat[68]) *ἐπὶ Παλλαδίῳ: δικαστήριον Ἀθήνησιν, ἐν ᾧ οἱ ἐφέται ἀκουσίου φόνου ἐδίκαζον. Ἀργεῖοι γὰρ ἀπὸ Ἰλίου πλέοντες, ἡνίκα προσέσχον Φαλήροις, ὑπὸ Ἀθηναίων ἀγνοούμενοι ἀνῃρέθησαν. ὕστερον δὲ Ἀκάμαντος γνωρίσαντος καὶ τοῦ Παλλαδίου εὑρεθέντος, κατὰ χρησμὸν αὐτόθι τὸ δικαστήριον ἀπέδειξαν, ὡς Φανόδημος. Κλειτόδημος δέ φησιν Ἀγαμέμνονος σὺν τῷ Παλλαδίῳ προσενεχ-*

---

67) cf. Philippi l. l. p. 79 sqq.

68) Leutsch in Corp. paroemiogr. Graec. II p. 403 rationem inter grammaticos intercedentem plane pervertit, cum dicat Pausaniam a Suid., Poll., Harp., Etym. Magn. exscriptum esse. neque multo rectius iudicant Philippi l. l. p. 13 not. et L. Lange, Der Areopag und die Epheten vor Solon, Abhandlgn. d. sächs. Gesellsch. d. Wiss. Bd. VII p. 190 not. 3.

θέντος Ἀθήναις, Δημοφῶντα ἁρπάσαι τὸ Παλλάδιον, καὶ πολλοὺς τῶν διωκόντων ἀνελεῖν. τοῦ δὲ Ἀγαμέμνονος δυσχεραίνοντος κρίσιν ὑποσχεῖν ὑπὸ ν' Ἀθηναίων καὶ ν' Ἀργείων· οὓς ἐφέτας κληθῆναι, διὰ τὸ παρ' ἀμφοτέρων ἐφεθῆναι αὐτοῖς περὶ τῆς κρίσεως. praeterea Phanodemum secutus est scholiasta Aeschin. II 87, qui etiam plura quam Suidas habet atque in his quoque cum Polluce consentit; Clitodemi fide nititur Harp. v. *ἐπὶ Παλλαδίῳ.* hos duos auctores aut solos commiscuerunt aut, quod mihi probabilius est, tertium[69]) vel solum vel una cum prioribus secuti sunt Pausanias periegeta I, 28, 8 sq. et lex. Bekk. 311, 3[70]). initium Pollucei loci videtur e Demosth. sumptum esse (*δικαστήριον τὸ τῶν ἀκουσίων φόνων*)[71]). compara nunc Pollucem cum schol. Aeschin. *ἐπὶ τούτῳ ἐκρίνοντο οἱ ἀκούσιοι φόνοι· οἱ δὲ ἐν τούτῳ τῷ δικαστηρίῳ δικάζοντες ἐκαλοῦντο ἐφέται, ἐδίκαζον δὲ ἀκουσίου φόνου καὶ βουλεύσεως καὶ οἰκέτην ἢ μέτοικον ἢ ξένον ἀποκτεῖναι*[72]). *ὠνομάσθη δὲ ἐντεῦθεν, Ἀργεῖοι τὸ Παλλάδιον*

---

[69]) cf. Lysiam apud schol. Aristid. vol. III p. 320 Dindorf., ubi falso *Δημόφιλος* pro *Δημοφῶν.*

[70]) Roseo p. 450 uterque Phanodemum videtur secutus esse. cum etiam ad nostram quaestionem faciat, rem accuratius contemplemur, sed satis erit de Pausania egisse. hic igitur cum Clitodemo consentit in his verbis *Δημοφῶντα λέγουσιν . . . ἄνδρας αὐτῶν ἀποκτεῖναι καὶ τὸ Παλλάδιον ἁρπάσαντα οἴχεσθαι*; in reliquis dissentit. cum Phanodemo Pausanias consentit in his: *φασὶν ἁλούσης Ἰλίου ταῖς ναυσὶν ὀπίσω κομίζεσθαι καὶ ἤδη τε νύκτα ἐπέχειν, ὡς κατὰ Φάληρον πλέοντες γίνονται*, cf. inprimis verba scholiastae Aeschinis, cuius narrationem e Phanodemo fluxisse manifestum est: *ἀπὸ Τροίας ἀνακομιζόμενοι ὡρμίσαντο Φαληροῖ*; in reliquis vel maxime dissentit, quorum ea, quae ad nos pertinent, proponam. Diomedem nesciunt Phanodemus et qui eum secuti sunt: nam tantum dicunt *Ἀργεῖοι (τινές).* item ignorant Demophontem a Clitodemo commemoratum: nam apud Suid. *ὑπὸ Ἀθηναίων* legitur, apud Poll. *ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων*, apud schol. Aeschin. *τῶν ἐγχωρίων τινές.* Pausaniam vero periegetam complures auctores adhibuisse indicant eius verba: *καὶ ὅτι μὲν Δημοφῶν πρῶτος ἐνταῦθα ὑπέσχε δίκας, ἀμφισβητοῦσιν οὐδένες* (quae tamen non demonstrant Phanodemum diserte Demophontis mentionem fecisse) et in fine: *ἐπὶ τούτῳ Δημοφῶντα ὑποσχεῖν δίκας, οἱ μὲν* (est tertius auctor) *τοῦ συμπατηθέντος* (scil. Atheniensis) *τοῖς προσήκουσιν, οἱ δὲ Ἀργείων φασὶ τῷ κοινῷ.*

[71]) ita recte Philippi l. l. p. 23 not. 31.

[72]) sic codex. verba aperte corrupta sunt, quare decernere non audeo, utrum ea, quae apud Harp. desunt, in hoc interciderint an

ἔχοντες κ. τ. λ. (ut apud Pollucem, sed non e Polluce sumptum[73]), schol. Aesch. confer cum Harp. *ἐπὶ Παλλαδίῳ: Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους. δικαστήριόν ἐστιν οὕτω καλούμενον, ὡς καὶ Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ, ἐν ᾧ δικάζουσιν ἀκουσίου φόνου καὶ βουλεύσεως οἱ ἐφέται. ἔσχε δὲ καὶ τὸ δικαστήριον τὴν τοῦ Παλλαδίου ἐπωνυμίαν καὶ οἱ δικασταὶ τὴν τῶν ἐφετῶν ἐντεῦθεν* (sequitur Clitodemi narratio), et hos omnes cum Suida (vel Pausania lexicogr.), ubi simili Pollucis, scholii Aesch., Harpocrationis principio additur et Phanodemi et Clitodemi narratio: intelleges, quam bene animadverterit Rose p. 450, neglegens ille quidem scholiastam Aeschinis, in primo et communi omnium, quos modo dixi, grammaticorum fonte (Didymo) tria (ipse nunc quartum addo Demosthenem) coniuncta fuisse (Demosthenis) Aristotelis Phanodemi Clitodemi testimonia, unde alius grammaticus alia sumpserit. *ἀγνώτων* memoriam praeter Pollucem etiam Hesychius servavit: *ἀγνῶτες: θεῷ οὕτω λέγεσθαί φασι τοὺς μετὰ τὸν τῆς Ἰλίου πλοῦν Φαληροῖ προσσχόντας καὶ ἀναιρεθέντας ὑπὸ Δημοφῶντος ταφῆναι.* M. Schmidt verba *θεῷ οὕτω λέγεσθαι* putat e praecedente glossa irrepsisse, cuius lemma vocabulo *ἀγνώστῳ* explet (*ἀγνώστῳ θεῷ: οὕτω λέγεσθαι . . .*), et glossae *ἀγνῶτες* lacunam tum in principio apparentem e Cyrillo complet: *ἀγνώριστοι, ἀνεπιστήμονες καὶ ἀμαθεῖς.* aliis aliter legendum esse videbatur, mihi Pollucem comparanti fere ita: *ἀγνῶτες: θεοῦ [χρήσαντος] οὕτω λέγεσθαί φασι τοὺς μετὰ τὸν [ἀπὸ] τῆς Ἰλίου πλοῦν Φαληροῖ προσσχόντας καὶ ἀναιρεθέντας ὑπὸ Δημοφῶντος [καὶ ἐκεῖ] ταφέντας.* sed utut hoc est, id statuere debemus in ipsis rebus quaedam confusa esse. *ἀγνώτων* enim mentionem Pollux in Phanodemi narrationem inserit, apud Hesychium Demophontis commemoratio ad Clitodemum spectat (nam nihil probat, qui e variis auctoribus compilavit, Pausanias perieg.). tamen hoc quidem loco Hesychium varia miscuisse censeo, Pollu-

---

aliunde in eum illata sint. illud contra C. F. Hermannum negavit Philippi l. l. p. 54.

[73]) cf. schol. codicis Bernard. ad h. l. *δικαστήριον ἐπὶ Παλλαδίῳ ἐστὶν ἀκουσίων φόνων. τοῦτο δὲ μνημονεύει καὶ Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους.*

cem culpa vacare, nam prima Hesychii verba manifesto nos ad Phanodemum ducunt, Clitodemi non sunt. Hesychii vero error inde ortus est, quod is, cuius excerpta servavit, alterius atthidographi narrationem continuo alteri adiunxit ita, ut paulo ante vidimus. cur haec ipsa pars in schol. Aeschinis desit, non est quod miremur. nam eo quidem loco scholion decurtatum esse indicat omissa oraculi mentio, quam etiam Suidas retinuit.

τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ.

Nulla harum rerum apud Demosthenem mentio fit, immo in ipsa fabula originem dicasterii declarante orator ab rhetore abhorret. locus sine ulla dubitatione ex Atthidis scriptore manavit; quis fuerit, nescio. novimus quidem Philochori de Pallantidarum caede narrationem (apud schol. Eurip. Hippol. 35), sed ibi nec de Thesei iudicio nec de Delphinio sermo est. ad Pollucis vero fontem referri debet lex. Bekk. 255, 19 *ἐπὶ Δελφινίῳ: δικαστήριον ἓν τῶν φονικῶν, ὅ φασιν Αἰγέα ἱδρύσασθαι αὐτὸ ἀπὸ Δελφῶν ἥκοντα Ἀπόλλωνι Δελφινίῳ καὶ Ἀρτέμιδι Δελφινίᾳ*, fortasse etiam Pausan. I, 28, 10 et Etym. Magn. p. 358 (v. *ἐπὶ Δελφινίῳ*). quod de fine Pollucei loci Rose p. 451 et Philippi (l. l. p. 60 not. 91) suspicantur, scilicet postremis verbis Aristotelis testimonium subesse ab Harp. prolatum, incertius videtur.

τὸ ἐπὶ Πρυτανείῳ.

Rara huius dicasterii est apud grammaticos commemoratio. e Demosthene quamquam non nominato hausit Harp. v. *ἐπὶ Πρυτανείῳ*[74]), Pollux neque ex hoc neque ex Aeschine III 244, sed fortasse ex Aristotele[75]).

---

[74]) mire Harpocratio Demosthenis verbis *τοῦτο δ' ἐστὶν ἐὰν* ad plane aliam sententiam utitur, et nescio an apud Demosth. aliquid exciderit.

[75]) Philippi l. l. p. 18 testimonium ex parte falsum putat. mihi Meier Att. Proc. p. 115 plane persuasit. hic refellendus erat Philippio, non sententia ab ipso in medium prolata per se prorsus incredibilis. Aristoteles vero, si huius loci auctor est, regis mentionem (cf. § 90) hic omittere paene debebat, cum in principio totius de capitalibus dicasteriis quaestionis necessario commemorandus esset.

τὸ ἐν Φρεαττοῖ.

Expositio maximam partem Demostheni debetur. sed libet non hunc apponere, sed Harpocrationem, qui oratoris verba satis fideliter descripsit: *ἐν Φρεαττοῖ: Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους περὶ τοῦ ἐν Φρεαττοῖ δικαστηρίου ἀκριβῶς διεξελήλυθε λέγων οὕτως: „ἔτι τοίνυν πέμπτον δικαστήριον ἄλλο θεάσασθε οἷον ὑπερβέβηκε τὸ ἐν Φρεαττοῖ. ἐνταῦθα γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κελεύει δίκας ὑπέχειν ὁ νόμος, ἐάν τις ἑκουσίῳ φόνῳ πεφευγώς, μήπω τῶν ἐκβαλλόντων αὐτὸν ᾐδεσμένων, αἰτίαν ἔχῃ ἑτέρου φόνου ἑκουσίου." καὶ μετ' ὀλίγον φησὶν „ἤγαγε τοὺς δικάσοντας οἷ προσελθεῖν οἷόντε ἐκείνῳ, τῆς χώρας ἀποδείξας τόπον τινὰ ἐν Φρεαττοῖ καλούμενον ἐπὶ θαλάττης* (*θαλάττῃ* Dem.). *εἶθ' ὁ μὲν ἐν πλοίῳ προσπλεύσας λέγει, τῆς γῆς οὐχ ἁπτόμενος, οἱ δ' ἀκροῶνται καὶ δικάζουσιν ἐπὶ τῆς γῆς ...." ὠνομάσθαι δ' ἔοικε τὸ δικαστήριον ἀπό τινος Φρεάττου ἥρωος, καθά φησι Θεόφραστος ἐν ις' τῶν νόμων.* vides quantopere Pollux non solum cum Demosthene sed etiam cum Harp. Demosthenem excerpente conspiret. in fine in diversas partes abeunt: nam Pollux quaedam addit, quae nec Demosthenis sunt neque Harp. habet; hic Theophrasti memoriam adiungit apud Pollucem non exstantem.

Transimus ad reliqua dicasteria, locum a Polluce, fortasse etiam a librariis, vehementer corruptum et perturbatum. primum *γνωρίμων δικαστηρίων* Polluci est *ἡλιαία* a ceteris grammaticis perpetuo, quod vocatur, epitheto *μέγα* vel *μέγιστον δικαστήριον* ornata. excipit eam *τρίγωνον* a Polluce e Dinarcho sumptum, ab Harpocratione e Lycurgo et Menandro. hoc simul cum sequente, sed duo iudicia pro uno nominant Phot. *τρίγωνον: δικαστήριον Ἀθήνησιν, ὡς παράβυστον καὶ μέσον* et, quamquam constanti corruptela, schol. Aristoph. Vesp. 120 *εἰσὶ δὲ δ', παράβυστος, καινός, τρίγωνος, μέσος* (*τὸ καινόν* ad ipsum Aristophanis locum spectat). nec mihi Pausaniam I, 28, 2[76]) aliosque et inprimis ipsum

[76]) *ἔστι δὲ Ἀθηναίοις καὶ ἄλλα δικαστήρια οὐκ ἐς τοσοῦτον δόξης ἥκοντα. τὸ μὲν οὖν καλούμενον Παράβυστον καὶ Τρίγωνον, τὸ μὲν ἐν ἀφανεῖ τῆς πόλεως ὂν καὶ ἐπ' ἐλαχίστοις συνιόντων ἐς αὐτό, τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ σχήματος ἔχει τὰ ὀνόματα.*

Pollucem (*ἐν μέντοι τῷ παραβύστῳ*) comparanti dubium est, quin recte Photius duo iudicia discernat et unum parabystum Athenis fuerit atque ad haec tertium accedat *μεῖζον*, tamen in ea, quae hoc quidem loco est, rerum condicione emendare Pollucem non audeo[77]), quamquam etiam codices dissentiunt. additamenti *ἐν μέντοι* etc. fontem fortasse indicat Harp. *παράβυστον: οὕτως ἐκαλεῖτό τι τῶν παρ' Ἀθηναίοις δικαστηρίων, ἐν ᾧ ἐδίκαζον οἱ ἕνδεκα· Ἀντιφῶν πρὸς Νικοκλέα περὶ ὅρων* . . . non minor in sequentibus est perturbatio. id vel leviter hunc locum percurrenti offensioni esse debet *τὸ Μητίχου* bis commemorari, *τὸ ἐπὶ Λύκῳ* inepte interpositum esse. postrema autem tuentur Hesychius *Μητίχου τέμενος: εἴη ἂν τὸ Μητιχεῖον δικαστήριον μέγα, ἐν ᾧ προσεκληρώθησαν χίλιοι δικασταί* (sic M. Schmidt ex append. proverb. III 94 emendavit) et lex. Bekk. 309, 17 *τέμενος Μητιόχου: δικαστήριον ὀνομασθὲν ἀπὸ Μητιόχου ἀρχιτέκτονος ἢ ῥήτορος τῶν τὰ βέλτιστα συμβουλευσάντων* (contraria, sed quae nihil pertinent ad Pollucem, habet Phot. *Μήτιχος: ἀρχιτέκτων καὶ ῥήτωρ τῶν οὐ τὰ βέλτιστα συμβουλευόντων*). sed initium labefactatur his, quae ascribam, testimoniis, unde *τὸ Κάλλιον* peculiare dicasterium fuisse et in Pollucis enarratione eodem quo paulo ante modo erratum esse apparet: lex. Bekk. 269, 33 *Κάλλιον: δικαστήριον Ἀθήνησιν οὕτω καλούμενον ἀπὸ τοῦ καλλύνειν καὶ κοσμεῖν καὶ λαμπρύνειν κ. τ. λ.*[78]) et Phot. *Κάλλειον: δικαστήριον Ἀθήνησιν ἀπὸ Καλλείου τοῦ πεποιηκότος ἐπώνυμον.* Androtionis mentio ad solum *Κάλλιον* referenda erit, non etiam ad *τὸ Μητιχεῖον* infra demum recte positum[79]). nam huius quoque dicasterii commemoratio quantopere Atthi-

[77]) virorum doctorum hac de re opiniones collegit suamque addidit Sauppe Orat. Att. II p. 215.

[78]) bene Schoemann (Opusc. acad. I p. 225) animadvertit interpretationem inde ab *ἀπὸ τοῦ καλλύνειν* non ad *δικαστήριον* illud, sed ad *Καλλυντήρια* pertinere; cf. Phot. v. *Καλλυντήρια*. coaluerunt enim duae glossae haud dubie propterea, quod in utraque *οὕτω καλούμενον* (-*νη*) *ἀπὸ* scriptum erat.

[79]) Mueller Fragm. hist. Graec. I (Androtion. fr. 51) non modo securus Pollucem descripsit, sed etiam novum errorem addidit verba *ἐδίκαζον δ' οἱ —τῷ δημοσίῳ* (§ 122) eidem Androtioni tribuens.

dis scriptori congruat, e Photii narratione (v. *Κάλλειον*) patet. iam ad finem huius disputationis pervenimus mirum in modum prioribus dignum: ad *τὸ ἐπὶ Λύκῳ.* quae hic locus vera vel saltem veteribus probata continet, ex Eratosthenis de antiqua comoedia commentariis derivata sunt; cf. Harp. *δεκάζων: . . . Ἐρατοσθένης δὲ ἐν τοῖς περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας πόθεν τὸ πρᾶγμα εἴρηται δηλοῖ λέγων „Λύκος ἐστὶν ἥρως πρὸς τοῖς ἐν Ἀθήναις δικαστηρίοις, τοῦ θηρίου μορφὴν ἔχων, πρὸς ὃν οἱ δωροδοκοῦντες κατὰ ι' γιγνόμενοι ἀνεστρέφοντο, ὅθεν εἴρηται Λύκου δεκάς.“* . . . ad eundem inprimis Eratosthenem etiam reliquorum grammaticorum testimonia referenda sunt, sed nemo eorum *ἐπὶ Λύκῳ* dicasterium commemorat; nihilosetius Pollux praeclarissimum vindicem habet Schoemannum (Att. Proc. p. 146). quare accuratius rem consideremus. primum paene omnes grammatici[80]) sicut ipse Eratosthenes Lyci statuam non in uno dicasterio exstructam fuisse narrant, sed plurali numero (*πρὸς τοῖς δικαστηρίοις*) utuntur; quin etiam Hesychius, quem totiens cum Polluce consentire videbamus, quo in hac quoque re nemo alius Polluci similior est, pluralem habet: *Λύκου δεκάς: παροιμιῶδες, ἐπεὶ Λύκος ἥρως πρὸς τοῖς ἐν Ἀθήναις δικαστηρίοις ἵδρυτο, τοῦ θηρίου τὴν μορφὴν ἔχων,* Lyci proprium dicasterium non novit. singularem numerum adhibent soli tertius scholiasta Arist. Vesp. 389 *Λύκου ἡρῷον πρὸς τῷ δικαστηρίῳ ἦν, ᾧ ἐμέριζον, ὅτε δικαστήρια ἦν, τὸν παρὰ τοῖς λαχοῦσι τῶν Ἀθηναίων δικάζειν δικαστικὸν μισθὸν τριώβολον,* quem recentem grammaticum satisque imperitum esse dudum constat[81]), et Photius *ἡ Λύκου δεκάς· Λύκος Ἀθήνησι πρὸς τῷ δικαστηρίῳ ἥρως, μορφὴν ἔχων θηρίου . . .*: sed ne hos quidem — nimirum grammaticos eosque serioris aetatis te legere memento — ut uni certoque iudicio illam statuam tribuisse statuamus, ulla necessitate cogimur. quae cum ita sint, facere non possum, quin cum Hudtwalckero, Meiero, Bernhardyo[82]) hoc

---

[80]) lex. Cant. v. *Λύκος*, Phot. in utraque glossa *Λύκου δεκάς*, duo priora scholia Aristoph. l. l., Zenob. V 2, Apostol. X 93.

[81]) cf. Bernhardyi Eratosthenica, Berolini 1822, p. 214.

[82]) Hudtw. Ueber d. öffentl. u. Privat-Schiedsrichter in Athen, Jena 1812, p. 14, Meier de bonis damnatorum, Berol. 1819, p. 113, Bernhardy l. l.

ad Lycum tribunal male confictum censeam. causam vero erroris aperiet, quem supra ad refellendum Pollucem attuli, Hesychius. cum enim recte habeat lex. Bekk. 449, 17 (et Suid. v. *ἄρχων*) *ἄρχοντες οἱ ἐννέα τίνες: . . . καὶ πρὸ μὲν τῶν Σόλωνος νόμων οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς ἅμα δικάζειν, ἀλλ' ὁ μὲν βασιλεὺς καθῆστο . . . ὁ πολέμαρχος ἐν Λυκείῳ*, Hesych. haec praebet: *ἐπὶ Λύκ[ε]ιον: ἀρχεῖον τοῦ πολεμάρχου Ἀθήνησιν.* eiusmodi testimonium Pollux cum Eratosthene confudit.

Iam intelleges, opinor, quam lubricum sit talem locum, ubi error errorem excipit, emendationibus temptare. sufficiat igitur vera aliunde eruisse.

§ 122—124

Tantum heliaeae mentione ea, quae de ratione iudiciorum dicuntur, interrumpi, sed hac omissa satis bene, ut apud Pollucem, procedere neque sine probabilitate ad unum auctorem referenda videntur. quod tamen ita se non habet. immo non aliter atque in praecedentibus paragraphis omnia, quae hic proferuntur, bona deteriora, vera falsa e variis scriptoribus sunt corrasa. sed ob eam ipsam causam, quod artiore quodam vinculo inter se cohaerent, statuendum est non Pollucem haec collegisse sed iam in fonte suo collecta invenisse. his expositis ad singula nos convertamus.

De aetate iudicum convenit inter Pollucem et suppositiciam iurisiurandi formulam Demosthenis Timocrateae (§ 149—151) insertam. sexagesimum annum tradit Suid. v. *τριώβολον* aut suo aut librariorum errore. quae deinceps sequuntur usque ad *ὥρκισεν*, cum Roseo p. 455 Theophrasto tribues, si grammaticorum moris memineris. scribit enim ita Harp. *Ἄρδηττος: . . . τόπος Ἀθήνησιν ὑπὲρ τὸ στάδιον τὸ Παναθηναϊκόν, πρὸς τῷ δήμῳ τῷ ὑπένερθεν Ἀγρυλέων. ἐν τούτῳ, φασί, δημοσίᾳ πάντες ὤμνυον Ἀθηναῖοι τὸν ὅρκον τὸν ἡλιαστικόν. ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ Ἀρδήττου ἥρωος ἀρχαίου, ὃς Ἀθηναίους πρῶτος ἐξώρκισεν. Θεόφραστος δ' ἐν τοῖς περὶ νόμων δηλοῖ ὡς κατελέλυτο τὸ ἔθος τοῦτο.* Harpocrationem aeque ac Pollucem supplet Hesych. *Ἀρδήττους: . . . τόπος περὶ τὸν Ἰλισσόν, ἐγγὺς τοῦ Παναθηναϊκοῦ σταδίου, ἐν ᾧ τοὺς ὅρκους ἐποιοῦντο.* ad eundem Theophrastum sine dubio re-

ferenda sunt, quae lex. Bekk. 443, 24 epitomae Harpocrationeae addit: εἴρηται δὲ Ἄρδηττος ἀπὸ Ἀρδήττου ἥρωος, ὃς Ἀθηναίους στασιάζοντας εἰς ὁμόνοιαν συνῆψεν. ἐν τούτῳ δὴ τῷ χωρίῳ ὤμνυον οἱ δικασταὶ τὸν δικαστικὸν ὅρκον. τρεῖς δὲ θεοὺς ὤμνυον, Δία Δήμητρα καὶ Ἥλιον [83]). quod Ardettus δικαστήριον appellatur, hoc Polluci vitio est vertendum. ipsius iurisiurandi verba mihi ad Theophrastum pertinere non videntur. quamquam nihil refert, satis ea abhorrere ab illa formula, quam in Demosth. Timocratea legimus — haec enim quin plane ficta sit, post A. Westermanni operam (commentatio de iurisiurandi iudicum Athen. formula, quae exstat in Demosth. orat. in Timocrat. pars I—III, Lipsiae 1859) iam nemo poterit dubitare — neque id premendum, deesse, quae revera illius iurisiurandi fuisse scimus ex oratoribus [84]), tamen ea intercedit similitudo inter Pollucem et Demosth. XX 118 ὀμωμοκότες κατὰ τοὺς νόμους δικάσειν ἥκετε (addit Dem. οὐχὶ τοὺς Λακεδαιμονίων οὐδὲ Θηβαίων κ. τ. λ.) καὶ περὶ ὧν ἂν νόμοι μὴ ὦσι, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ κρινεῖν, ut recte me statuere persuasum habeam, si ex hoc Demosthenico loco Polluceam formulam fluxisse arbitror. excipit illam formulam ἀμφιορκίας explicatio, quam nunc omnes reiciunt. inprimis Westermann l. l. demonstravit unum iudicum iusiurandum fuisse idque annuum, litigantes autem non ipso iudicii die neque coram iudicibus, sed multo ante coram quaesitore iuravisse: duplicem igitur Pollucis errorem esse. nam verba τὸ πᾶν etiam iudicum iusiurandum amplecti neque ad litigantes solos referri debere. hoc enim si poneremus, non intellegi posse, cur iterum rei mentio fieret iam suo loco (§ 55) expositae. quod postremum argumentum in hoc scriptore vanum est et inane. cum Polluce faciunt lex. Bekk. 184, 9 et 311, 23, Psellus ed. Boisson. p. 100 (quocum

---

[83]) ut saepius ita hoc quoque loco Solem cum Apolline confundi docet Schoemann Opusc. acad. I p. 319 not. 5 et qui eum secutus est Welcker Götterlehre I p. 493 not. 11, nisi quod hic errans Harp. v. ἀγυιάς pro lex. Bekk. dicit. quod in Timocrateae formula Neptunus loco Apollinis affertur, falsarii est error. Pollucem tuetur Demosthenes LII 9 et Dinarchus in schol. Aeschinis I 114.

[84]) Demosth. XLV 50, Isocr. XV 21, Andoc. I 31.

congruit Gregor. Corinth. in Rhet. Graec. ed. Walz VII p. 1120 sq.), aliter Hesych. *ἀμφιορκία*: *ὅταν οἱ δικαζόμενοι ἀλλήλοις ὀμνύωσιν* et *ἀμφωμοσία*: *ὅταν τῶν δικαζομένων ὁ μὲν προομόσῃ, ὁ δὲ ἐπομόσῃ. λέγεται δὲ καὶ ἀμφιορκία.* bene, aiunt, Hesychius, falso Pollux. mihi haec sententia, quamquam per se probabilitate non caret, tamen minime pro certa habenda videtur. res enim est obscurior. novimus duo eius iurisiurandi nomina, quod litigantes, et accusator et reus, dabant: *διωμοσία* et *ἀντωμοσία*, ex Hesych. accedunt duo alia *ἀμφιορκία* et *ἀμφωμοσία*. quis autem, quaeso, sibi persuadeat eandem rem in foro Attico quattuor nominibus appellatam fuisse? neque exstant Hesychii vocabula apud ullum, qui ad nos pervenit, oratorem aut alium auctorem. atqui discimus e Theophrasto (apud Harp.): *ὡς κατελέλυτο τὸ ἔθος τοῦτο*, id quod omnes quantum scio ita intellexerunt, ut locum tantum mutatum esse putarent, iurisiurandi rationem eandem mansisse. quid autem, si non solum locum (Ardettum), sed totum iudices iureiurando obstringendi morem abolitum esse dixerat Theophrastus[85]) novumque institutum addiderat, si huius expositio latet in Pollucis verbis? neque enim obstat iurisiurandi formula Theophrasteis aliunde interposita, et quantopere quaedam hoc loco contracta sint, statim videbimus. ita non mirabimur apud oratores illas voces non legi. uter autem verius interpretatus sit, uter erraverit, certo vix poterit diiudicari. ab utroque abhorret Suid. v. *ἀμφιορκία* (unde Zonaras).

Tradit deinde Pollux de numero iudicum, quae ut cum ceteris grammaticis concilientur — hi enim, qui quidem aliquid de numero addunt, aut mille aut mille quingentos, falso Steph. Byz. mille ducentos in heliaea consedisse referunt; cum Polluce conspirat unum schol. Arist. Vesp. 88 *ἦσαν δὲ ἡλιασταὶ τὸν ἀριθμὸν φ'* — Pollucis *ἡλιαίαν* necesse est non notum illud et maximum, sed latiore illa signi-

---

[85]) cf. quae huic loco simillima sunt apud schol. Lucian. Timon. 30 *Ὑπέρβολος οὗτος, ὡς Ἀνδροτίων φησίν, Ἀντιφάνους ἦν, ὃν ὠστρακίσθαι διὰ φαυλότητα . . . ἐπὶ τοῦτο δὲ καὶ τὸ ἔθος τοῦ ὀστρακισμοῦ κατελύθη, ὡς Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ Νόμων λέγει . . .*

ficatione[86]) simpliciter *τὸ δικαστήριον* intellegamus, id est unam e decem partibus, in quas post annuam sortitionem iudices distribuebantur. hanc interpretationem etiam totius loci ratio poscit.

Transit Pollux ad ritum sententias ferendi, quae omnia usque ad lacunam Aristotelis sunt. cf. Harp. *τετρυπημένη*: ... *Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ γράφει ταυτί: „ψῆφοι δέ εἰσι χαλκαῖ, αὐλίσκον ἔχουσαι ἐν τῷ μέσῳ, αἱ μὲν ἡμίσειαι τετρυπημέναι, αἱ δὲ ἡμίσειαι πλήρεις. οἱ δὲ λαχόντες ἐπὶ τὰς ψήφους, ἐπειδὰν εἰρημένοι ὦσιν οἱ λόγοι, παραδιδόασιν ἑκάστῳ τῶν δικαστῶν β' ψήφους, τετρυπημένην καὶ πλήρη φανερὰς ὁρᾶν τοῖς ἀντιδίκοις, ἵνα μήτε πλήρεις μήτε πάντη τετρυπημένας λαμβάνωσιν.“* quae his succedebant apud Aristotelem, habet lex. Cant. v. *ἴσαι αἱ ψῆφοι*. deinde compara schol. Arist. Equit. 1150 *κημὸς ὁ ἐπὶ τοῦ καδίσκου, εἰς ὃν τὰς ψήφους καθίεσαν ἐν τοῖς δικαστηρίοις. Κρατῖνος δὲ αὐτὸν ἐν Νόμοις σχοίνινον ἠθμὸν καλεῖ ... ὕστερον δὲ ἀμφορεῖς δύο ἵσταντο ἐν τοῖς δικαστηρίοις, ὁ μὲν χαλκοῦς, ὁ δὲ ξύλινος, καὶ ὁ μὲν κύριος ἦν, ὁ δ' ἄκυρος. ἔχει δὲ καὶ ὁ χαλκοῦς, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης, διερρινημένον ἐπίθεμα εἰς τὸ αὐτὴν μόνην τὴν ψῆφον καθίεσθαι* ... nam *κάδον* quoque et *κημόν* apud Pollucem sine dubio Aristoteli tribuere debemus, cum et praecedentia et insequentia huius auctoris sint atque similia etiam in schol. Arist. praecedant, etsi ibi Aristotelis nomen postea demum additur et poetarum mentio immiscetur.

Mysticorum iudiciorum rationis unus Pollux auctor est eodem nescio quo fonte usus, unde breviora quidem sed paene ad verbum congruentia hausta sunt in § 141.

κιγκλίδες. verbo tenus conspirat Harp. *κιγκλίς*: *Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστογείτονος. αἱ τῶν δικαστηρίων θύραι κιγκλίδες ἐκαλοῦντο· Ἀριστοφάνης κ. τ. λ.* noli autem credere additamentum illud *ἃς Ῥωμαῖοι καγκελλωτὰς λέγουσιν* Pollucem de suo adiunxisse. bonus auctor, id quod in misera litterarum Graecarum ruina ei eximiae laudi vertimus, ne

86) loci, quos protulit Schoemann Att. Proc. p. 144 not. 36, cum praeter Antiph. VI 21 non ex ipsis oratoribus, sed e formulis sumpti sint, saltem grammaticorum hunc morem fuisse probant.

tantillum quidem addidit. vide enim schol. Arist. Vesp. 124 *κιγκλὶς γὰρ ἡ θύρα τοῦ δικαστηρίου, ἣν καὶ καγκελωτὴν καλοῦσι*, Etym. Magn. p. 518 *κληΐς: ... ὅμοιον δέ ἐστι καὶ τὸ κιγκλίς· οὕτως δὲ λέγεται ἡ καγκελωτὴ θύρα ...*, Hesych. *κιγκλίδες: θύραι, ἃς ἡμεῖς καγκελλωτὰς λέγομεν*, atque similiter exponunt reliqui, quos longum est enumerare. id unum discrimen inter Pollucem et ceteros intercedit, quod ille Romanis vocem tribuit, hi *ἡμεῖς* vel *νῦν* (lex. Bekk. 271, 33) dicunt. Pollux autem aetate reliquos omnes antecedit: itaque, cum communis auctor (Didymus, ad quem nos ducit et comici apud Harp. mentio et mirificus omnium consensus et quod hunc grammaticum non imperitum latinae linguae fuisse docet inprimis opus eius *περὶ Ῥωμαϊκῆς ἀναλογίας* compositum) illam vocem ad Romanos rettulisset, nondum habebat, cur haec mutaret; sed cum illud vocabulum ut permulta alia in Graecum sermonem receptum esset vulgatumque inter omnes, evanuit Romanae originis memoria. — non adeo vulgaris erat inter grammaticos notitia etiam iudicia propter *διοσημίας* dirempta esse, cum, quem quodammodo huc referre possim, unum habeam schol. Arist. Acharn. 171 (unde Suid.): ... *παρεφυλάττοντο γὰρ οἱ Ἀθηναῖοι τὰς τοῦ Διὸς ἡμέρας καὶ διέλυον τὰς ἐκκλησίας διοσημείας γενομένης, ἢ ἄλλο τι μέλλοντες ἀνύειν*. — *ἐξηγητάς* denique complures similiter ut Pollux interpretantur, proxime vero ad eum accedit Hesych. *ἐξηγητής: ὁ περὶ ἱερείων καὶ διοσημιῶν ἐξηγούμενος*.

Iam ut omnia breviter comprehendam: hoc uno de iudicibus loco auctores congesti sunt Theophrastus, Demosthenes, Aristoteles, Didymus, alii, quorum nomina ad nos non pervenerunt. tamen totum hunc locum ut ex Aristotele fluxisse putaret, Westermann potuit in animum inducere; quare ne „a gravissimo, quo in rebus Atticis describendis usus est, auctore tam immaniter desciscere Pollux“ videretur, vocem *δικαστηρίῳ* aut tollere aut in *οἱ δικασταί* mutare et verba *ὀμοσάντων — ἀμφιορκία* ut glossema eicere voluit.

§ 125

ἐφέται.

Hic locus cum praecedentibus non cohaeret, nisi fortasse eo modo, quem infra exponam quique, si solos Pollu-

ceos locos respicimus, potius nullus est. postquam enim Pollux e fonte suo dicasteriorum expositionem (§ 117—121), fortasse indidem etiam reliqua (§ 122—124) descripsit, alium fontis sui locum adiit, ubi de ephetis disserebatur. perperam L. Lange (loco not. 68 laudato p. 207) ad coniecturam Schoemanni refellendam etiam hoc argumento utitur: si Schoemanni sententia vera esset, certe Pollucem, cum exegetis continuo ephetas adiungat, aliquid de utrorumque coniunctione additurum fuisse. sed exegetarum mentio apud Pollucem minime ad ephetas spectat, sed ad *διοσημίας* iudiciorum causa commemoratas. porro cum Pollux dicat *ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις*, eum ad dicasteria § 117—120 descripta ipsum male respexisse[87]), id nego atque pernego. immo hic quoque fontem suum descripsit, nec statuere licet eum praecedentium memorem — omnino neque quinque tantum dicasteria nominaverat neque prima quinque ut *φονικά* insigniverat — errore *πέντε* pro *τέσσαρσι* scripsisse. nam Pollux in hoc octavo libro, quae aut scripserat aut scripturus erat, nunquam curabat, sed si qua confudit, confudit ea ipsa, quae cum maxime tractabat. at revera Harpocratio, optimus auctor, totiens iisdem fontibus usus, qui solus praeter Pollucem locorum mentionem facit, quattuor tantum dicasteria diserte memorat, de Areo pago silet. sed Harpocratio in ipsis illis quattuor dicasteriis (glossa *Ἄρειος πάγος* nunc apud eum non legitur) auctores maximam partem a Polluce diversos secutus erat. quaeritur igitur, quis in illis glossis eius auctor fuerit. primum constat Harpocrationem (vel, si mavis, eum lexici rhetorici conditorem, quem exscripsit) commentariis ad oratores usum esse. deinde sub vocibus *ἐπὶ Παλλαδίῳ*, *ἐπὶ Δελφινίῳ*, *ἐν Φρεαττοῖ* disertis verbis solam Demosthenis Aristocrateam, etiamsi inde nihil hausit, laudat, s. v. *ἐπὶ Πρυτανείῳ* tacite exscribit, cum illa dicasteria etiam aliis oratorum locis certe commemorata sint et pars in nostris quoque reliquiis commemoretur (*τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ* Harpocratio ipse s. v. *Δελφίνιον* e Dem. XL 11 citat). tum s. v. *ἐφέται* ad eandem Demosthenis orationem solam provocat,

[87]) id quod forte cuipiam Harpocrationem comparanti videri potest.

cum eorum nomen etiamnunc exstet aliis locis (apud Andoc. I 78 in psephismate orationi inserto, quod Harpocratio alibi laudat, et Dem. XLIII 57 in lege, quam quidem diserte nusquam citat Harpocratio, tamen alias eiusdem orationis leges). denique omnino per totum lexicon saepissime Aristocrateam respexit. itaque probabile est eum illis omnibus locis commentarium Demosthenicum adhibuisse, haud dubie Didymi[88]). novimus autem Didymi morem (et supra quoque saltem in *τῷ ἐπὶ Παλλαδίῳ* manifesto observare poteramus) complurium auctorum testimonia colligendi. atque ex illo commentario etiam Pollucis auctor in §§ 117—120 hauserat (si non omnia, certe aliqua), cf. quae ad illas §§ de Pollucis et aliorum communitate fontium disserui. quare verisimile est Pollucis auctorem etiam in ephetis in Demosthenis oratione spatio non ita longo interposito commemoratis eundem commentarium adiisse. sed de ephetis Didymus ex ipsis oratoribus, etiamsi tum integri supererant, vix multa poterat eruere — probant hoc cum alia tum rarissima ephetarum commemoratio — itaque congessit more suo aliorum scriptorum testimonia. quod si recte disputavi, apparet ex Harpocrationis, quem suo iure, ut tum res erant, M. H. E. Meier vir harum rerum peritissimus „lexicographorum Graecorum, qui aetatem tulerunt, principem, virum imprimis eruditum, errandi fere nescium" poterat appellare, ex huius igitur Harpocrationis cum Polluce, quem totiens depravata tradentem deprehendimus, comparatione omnino nihil nos proficere. prorsus enim nescimus, quem ex iis, quos Didymus collegerat, scriptoribus Harpocratio[89]), quem sibi Pollucis auctor elegerit, uter eorum fortasse ipsius Didymi sententiam servaverit. iam in ipsam testimonii veritatem et omnino in totam de ephetis quaestionem per hos annos tam acriter agitatam inquirere neque meum neque huius loci est. illud autem vehementer doleo, quod de auctore certius quidquam proponere nequeo.

---

[88]) cf. Harp. s. v. ὁ κάτωθεν νόμος; ex quo commentario etiam Pollux § 128 fin. fluxit.

[89]) Philippi l. l. p. 209 sq. certo scit Harpocrationis auctorem Aristotelem fuisse.

tamen persuasum habeo locum neque ex Aristotele[90]) neque ex Atthidis scriptore transscriptum, quorum neuter ita scripsisset — solum exponendi genus respicio — sed grammatici esse. unde hic sua sumpserit, nescire me fateor[91]). cum Polluce in verbis consentit, quatenus rem servavit, Hesych. *ἐφέται: δικαστῶν εἶδος Ἀθήνησι τῶν ἐφ' αἵματι διωκομένων*[92]), in re sola auctor glossae interpolatae in Timaei lex. Platon. *ἐφέται: πεντήκοντά εἰσιν οὗτοι οἱ ἀπὸ Δράκοντος περὶ φόνου δικάζοντες κριταί* (quinquagesimum primum fere constanti grammaticorum more omisit[93]). Suidae (unde schol. Dem. XXIII 38) octoginta ephetae (*π' ὄντες*) e scripturae vitio orti sunt, cum apud Phot. (et lex. Bachmann.) *περιιόντες* legatur.

§ 126

ναυτοδίκαι.

Iisdem verbis utitur Phot. *ναυτοδίκαι: Ἀθήνησιν οἱ τὰς τῆς ξενίας δίκας εἰσάγοντες*, simillimis Hesych. *ναυτοδίκαι: οἱ*

---

[90]) ut multis videbatur.

[91]) quod Philippi primum in Jahrb. f. Philol. 1872 p. 604 sq. protulit et post eum alii pro comperto et explorato habuerunt, partem huius loci e Demosth. XLIII 57 corrupto fluxisse, id in hac rerum condicione, praesertim cum ea ipsa, quae ex illa corruptela orta esse contendit Philippi, per se vera sint, mihi vel maxime dubium videtur. et valde gaudeo, quod etiam Schoemann Jahrb. f. Philol. 1875 p. 153 sqq. Philippio minime assentitur. si porro hic (Areopag etc. p. 140 not. 43) affirmat: „bei Pollux findet sich unendlich vieles, was sicher aus Demosthenes stammt", id quam falsum sit, opusculum meum luculenter demonstraturum esse spero. sed sit illud e Demosthene male intellecto sumptum: quomodo tamen inde Philippi p. 203 concludere potuerit „dass die Hauptstelle über die Epheten, Pollux VIII 125, ihrem grössten Theile nach auf missverstandenen Nachrichten beruht", hoc me non intellegere profiteor. quid enim? § 126 legimus *διῄτων δ' ἐν ἱεροῖς*. constat hoc non semper factum esse. fortasse igitur Philippi concludet falso tam generalem sententiam e Demosth. LIX 46 male intellecto haustam esse, ergo etiam reliqua de diaetetis tradita fide carere. immo maximam partem illa optima sunt: statim enim sequitur Demetrius Phalerensis, fortasse praecedit Aristoteles, sequitur Demetrium Aristoteles, hunc iterum Demetrius.

[92]) *διωκομένων* M. Schmidt „correxit" *δικαζόντων* scribens, immo depravavit.

[93]) nescio cur hanc glossam Philippi ne commemoratione quidem dignam censuerit.

ἐπὶ τοῦ ἐμπορίου δικασταί, ἐφ' ὧν καὶ αἱ τῆς ξενίας ἐκρίνοντο δίκαι; cf. Suid. v. *βάψας*.

ὑβριστοδίκαι.

Hic Pollux bene ipse auctorem indicat idque satis arroganter. commemoratur res praeterea tantum ab Hesych. *ὑβριστοδίκαι*: *οἱ μὴ θέλοντες εἰσάγειν τὰς δίκας παρὰ Ἀττικοῖς* et Phot. *ὑβριστοδίκαι*: †*οἱ ἐπὶ τῶν μὴ ἐθελόντων εἰσάγειν τὰς δίκας*. videtur autem vox comicorum esse, saltem comoedia quaedam Eupolidis ita inscripta fuit, cf. Meineke Fragm. comic. Graec. I p. 145. hanc vero vocem quam inepte Pollux magistratuum enumerationi inseruerit, patet. ceterum quod hic Pollucis locus e Cratero desumptus est et ad praecedentem magistratum (*ναυτοδίκαι*) Harp. s. v. eundem Craterum auctorem exhibet, nihil inde de Polluce concludere licet, ut fragmentorum Crateri editores videntur arbitrati esse. minime enim Crateri verba (sunt autem legis cuiusdam) cum Polluceis congruunt nec quidquam *ναυτοδίκαι* cum *ὑβριστοδίκαις* commune habent nisi secundam ipsorum vocabulorum partem. quare illud casu factum est.

§ 126—127

διαιτηταί.

Postrema sunt Demetrii Phalerensis, vid. Harp. *παράστασις*: . . . *Δημήτριος δὲ ὁ Φαληρεὺς ἐν τοῖς περὶ νομοθεσίας τοὺς διαιτητάς φησι λαμβάνειν τὰς δραχμὰς μίαν μὲν ἀπὸ τῆς λήξεως, ἣν παράστασιν ἐκάλουν, ἑτέραν δὲ καθ' ὑπωμοσίαν ἑκάστην*. uter Demetrii verba ipsa melius servaverit, nunc definiri nequit, cum Harp. obliqua oratione usus sit. cum posteriore facit lex. Bekk. 290, 19 et Phot. v. *παρακατάστασις*. difficilior est quaestio de antecedentibus. vix enim putaverim Roseum p. 449 verbis „hucusque Aristotelica" post *κατεσημαίνοντο* insertis significare voluisse, quae praecederent, omnia Aristotelis esse. nam exhibet Harp. haec: *διαιτηταί*: *Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Μειδίου. εἰσὶ δὲ οἱ διαιτηταὶ ἕτεροι τῶν δικαστῶν· οὗτοι μὲν γὰρ ἐν δικαστηρίοις ἐδίκαζον ἀποδεδειγμένοις καὶ τὰς ἀπὸ τῶν διαιτητῶν ἐφεσίμους ἔκρινον, οἱ δὲ διαιτηταὶ πρότερον κλήρῳ λαχόντες ἢ ἐπιτρεψάντων αὐτοῖς τῶν κρινομένων τοῖς κρινομένοις διῄτων. καὶ εἰ*

μὲν ἤρκεσε τοῖς ἀντιδίκοις, τέλος εἶχεν ἡ δίκη· εἰ δὲ μή, τὰ ἐγκλήματα καὶ τὰς προκλήσεις καὶ τὰς μαρτυρίας, ἔτι δὲ καὶ τοὺς νόμους καὶ τὰς ἄλλας πίστεις ἑκατέρων ἐμβαλόντες εἰς καδίσκους καὶ σημηνάμενοι παρεδίδοσαν τοῖς εἰσαγωγεῦσι τῶν δικῶν. λέγει δὲ περὶ αὐτῶν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ. verba scripturae genere distincta sunt certe Aristotelis, sicut ea, quae apud Pollucem iis respondent. quod Harp. habet εἰς καδίσκους, Pollux εἰς ἐχῖνον, hic melius Aristotelia servavit, id quod ex ipso Harp. perspicitur: ἐχῖνος: ... μνημονεύει τοῦ ἄγγους τούτου καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ. sed vocem ψήφους, nisi librariis tribuenda est, cum Roseo statuendum erit ob κημόν cum ἐχίνῳ confusum huc male illatam esse. aetatem diaetetarum complures grammatici tradunt minimum quinquagesimum vitae annum fuisse: Pollucis auctorem sequuntur Hesych. διαιτηταί: Ἀθήνησιν ἕτεροί τινες τῶν δικαστῶν, οἷς ἐπέτρεπον οἱ ἀμφισβητοῦντες τὰ ἐγκλήματα, καὶ αὐτοὶ διῄτων· *** εἰ δὲ μή, ἀνέπεμπον ἐπὶ τοὺς δικαστάς. οἱ δὲ περὶ ξ′ (cod. ζ) ἔτη γεγονότες διῄτων et lex. Bekk. 235, 20 διαιτηταὶ τίνες εἰσί: ... ἐγίνοντο δὲ διαιτηταὶ πάντες Ἀθηναῖοι, οἷς ἑξηκοστὸν ἔτος ἦν. τὸν δὲ ἀδικοῦντα[94]) διαιτητὴν ἐξῆν εἰσαγγέλλειν, καὶ εἴ τις ἑάλω, ἀτιμία ἦν τὸ ἐπιτίμιον. ut Hesychianae glossae finis cum Polluce conspirat[95]), sic initium manifesto cum Harpocratione. apparet igitur unum horum trium auctorum fontem fuisse. huc accedit, quod in omnibus etsi in alio aliter expressum commune vitium latet. scilicet in publicorum diaetetarum expositionem falso inferunt, quae ad privatos spectant: Poll. ἔλεγον δ' ἐπιτρέψαι δίαιταν καὶ ἡ δίαιτα ἐκαλεῖτο ἐπιτροπή, Hesych. οἷς ἐπέτρεπον οἱ ἀμφισβητοῦντες τὰ ἐγκλήματα, Harp. ἢ ἐπιτρεψάντων αὐτοῖς τῶν κρινομένων. initium Pollucei loci fortasse Aristotelis est, sed quae sequuntur, videntur huius auctoris

---

[94]) hinc patet apud Pollucem post μή adverbium quoddam (δικαίως) intercidisse.

[95]) cum pro Polluceo ὑπέρ et Hesychius et Gregorius Corinth. (Rhet. Graec. ed. Walz VII p. 1284), qui locum Pollucis exscripsit, exhibeant περί, hoc etiam Polluci restituendum est; id quod iam Valckenarius voluit. ceterum idem Gregorius confirmat egregiam Kuehnii emendationem διῄτων pro τῶν.

non esse, sed eiusdem, cui postrema debentur, Demetrii Phalerensis, cuius haec habet lex. Cant. *μὴ οὖσα δίκη: Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐνίους λέγει τῶν κρινομένων κακοτεχνεῖν τοῖς διώκουσιν ἀντιλαγχάνοντας τὴν μὴ οὖσαν· δεῖ γὰρ τοὺς ὑπὲρ δέκα δραχμὰς ἀμφισβητοῦντας διαιτητὰς εἰς δίκην ἑκάστην λαμβάνειν· διὸ καὶ ἔκειτο νόμος μὴ εἰσάγεσθαι δίκην, εἰ μὴ πρότερον ἐξετασθείη παρ' αὐτοῖς τὸ πρᾶγμα* ... verba ad privatos diaetetas pertinentia sine dubio sunt eius grammatici, qui huius loci testimonia congessit (Didymi?).

§ 128

Prope ad nullam aliam publicarum rerum Atticarum partem tot boni vetustique auctores nominatim citantur, quam ad hanc de *κύρβεσι* et *ἄξοσι* quaestionem. sed quam parvum inde fructum capiamus, facile intelleges, si memineris huius testimoniorum copiae causam esse eam ipsam, quod iam Alexandrinorum temporibus his de rebus dissentiebatur.

De *δέλτοις* cum lexicographi tantum simplicem significationem „pugillares“ proferant, nullum habemus testimonium, quod cum Polluceo comparetur, neque a recentioribus quidquam hoc de nomine adnotatum repperi.

Quod ad *κύρβεις* et *ἄξονας* attinet, statim, si auctorem quaerimus, mittamus Aristotelem, cum hic nullum agnoverit discrimen. postrema verba unde manaverint, discimus ex Harp. *ὁ κάτωθεν νόμος*, qui inter varias Didymi explicationes hanc quoque profert: *ἢ ἐπεί, φησι, τοὺς ἄξονας καὶ τοὺς κύρβεις ἄνωθεν ἐκ τῆς ἀκροπόλεως εἰς τὸ βουλευτήριον καὶ τὴν ἀγορὰν μετέστησεν Ἐφιάλτης, ὥς φησιν Ἀναξιμένης ἐν Φιλιππικοῖς.* in eo tantum Pollux differt, quod Didymus *βουλευτήριον* nominat, hic *πρυτανεῖον*, qua de re infra agam. de praecedentibus haec dicit Rohde (loco not. 1 laudato p. 17) Pollucem non semper Aristophanem Byzantium secutum esse probaturus: „*κύρβεις* quadrangulares fuisse pronuntiaverat Aristophanes (p. 219 sq.); triangulares fuisse affirmat Pollux VIII 128, Eratosthenem (p. 211 Bernh.) secutus, cuius doctrinam more suo propagavit Didymus (cf. Schmidt. Did. p. 59), unde in Hesychium Photium alios transiit (cf.

Naber Phot. I 360)." Pollucem sua ex Aristophane sumpsisse recte negat: nam Aristophanes non solum quadrangulares *κύρβεις* fecit, sed etiam duo illa tabularum genera non differre contendit nisi praeceptorum, quae continerent, argumentis [96]). sed ne Eratosthenem quidem Pollux est secutus. *τριγώνους* quidem ille novit *κύρβεις*, sed e schol. Apollon. Rhod. IV 280 nostro iure cum Prellero (Polemonis periegetae fragm., Lipsiae 1838, p. 88) concludemus eum inter illa vocabula nullum discrimen statuisse. restat ex iis, quos de numero angulorum disputavisse scimus, Polemo apud Harp. *ἄξονι: οἱ Σόλωνος νόμοι ἐν ξυλίνοις ἦσαν ἄξοσι γεγραμμένοι· Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους „ὡς ἐν τῷ ἄξονι εἴρηται." ἦσαν δέ, ὥς φησιν Πολέμων ἐν τοῖς πρὸς Ἐρατοσθένην, τετράγωνοι τὸ σχῆμα, διασώζονται δὲ ἐν τῷ πρυτανείῳ γεγραμμένοι κατὰ πάντα τὰ μέρη. ποιοῦσι δ' ἐνίοτε φαντασίαν τρίγωνον, ὅταν ἐπὶ τὸ στενὸν κλιθῶσι τῆς γωνίας.* agnoscit Polemo *ἄξονας τετραγώνους*, non attingit *κύρβεις*. atque eum distinxisse inter illa demonstrari posse negat C. Mueller (Fragm. histor. Graec. vol. II ad Aristot. fragm. 11, cf. vol. III ad Polemon. fragm. 48), cum tantum referatur Polemo Eratosthenem *ἄξονας τριγώνους* dicentem reprehendisse. et fatendum est certi quidquam vix nos inde eruturos esse. sed si probabilitate quadam contenti sumus, equidem facere non possum, quin cum Prellero (l. l. p. 90, cf. p. 88. quem nuper secutus est Philippi, Areopag etc. p. 365 not. 10) sentiam, qui distinxisse Polemonem statuerat. Eratosthenis enim sententia, ut breviter comprehendam, fuit haec: *κύρβεις* vel *ἄξονας* triangulares esse. iam eum Polemo reprehendit: *ἄξονας* quadrangulares esse, non triangulares. itaque fortasse conicere licebit Polemonem, cum illum tantum de axonum forma errasse dicat, putasse Eratosthenem de cyrbeon figura recte iudicare atque propterea ipsum de harum tabularum triangulari forma cum Eratosthene consensisse. hoc si ponimus, duorum potissimum auctorum apud Pollucem vestigia deprehendimus: Polemonis atque Didymi. nam Anaximenes

[96]) quomodo Baehr ad Hermann, Griech. Staatsalt. 5. edit. § 107, 1, Aristophanem inter eos referre potuerit, qui „beide Ausdrücke ohne Unterschied von diesen Gesetzen des Solon gebrauchen", non assequor.

nihil nisi ipsum factum videtur rettulisse, quod ad τὸν κάτωθεν νόμον declarandum Didymus demum adhibuit. etenim πρυτανεῖον illud, quod Pollux pro Didymeo βουλευτηρίῳ habet, ipsum quoque e Polemone, quem etiam Plutarchus Sol. 25 sequitur, vel errore vel consilio illatum esse apparet. sed vereor ne Pollucea ex his solis conflata non sint et necesse sit praeterea si non plures, certe tertium nescio quem auctorem assumamus. nam qui similia Polluceis de illo tabularum discrimine proferunt (Phot. v. κύρβεις glossa 2, Ammon. v. ἄξονες; simillima habet lex. Bekk. 274, 24 κύρβεις: κατασκευάσματα ξύλινα, ἐν οἷς ἐγγεγραμμένοι τὸ παλαιὸν ἦσαν οἱ νόμοι. εἰσὶ δὲ τρίγωνοι τὸ σχῆμα. διαφέρουσι δὲ τῶν ἀξόνων, ὅτι ἐκεῖνοι μὲν τετράγωνοί εἰσιν, οὗτοι δὲ τρίγωνοι πυραμίδι ὅμοιοι), de auctoris nomine tacent. ceterum Polluci fortasse etiam illud errori tribuemus, quod ἄξονας aeneos appellat, cum reliqui, qui quidem aliquid de materia addunt[97]), eos ligneos nominent. aes enim solis κύρβεσι assignant alii grammatici, quorum cum testimoniis sententiam Theophrasti (apud Phot. v. κύρβεις glossa 1, cf. schol. Arist. Av. 1354 et Tzetz. Chil. XII 357, ubi falso Theopompus pro Theophrasto citatur) conferunt, cum alii Apollodorum secuti eas vel lapideas vel potius antea lapideas postea ligneas fuisse narrent.

§ 130—131

Ubi de distributione totius populi in quattuor classes facta loquuntur — dico autem principia horum omnium locorum — grammatici variis vocibus ad ipsas classes significandas utuntur. scilicet haec verba usurpant: τέλη, τάξεις, τάγματα, συντάγματα, συστήματα, μέρη, τιμήματα. in tanta varietate id minime neglegendum est, quod cum Polluce in usu vocabuli τιμήματα facit Suidas (quamquam in huius glossa etiam ipsum lemma illam vocem continet): ἐκ τιμημάτων: τέσσαρα Ἀθήνησι τιμήματα ὑπὸ Σόλωνος γέγονε, πεντακοσιομεδίμνων, ἱππέων, ζευγιτῶν, θητῶν et, ut videtur, Hesych. ἐκ τιμημάτων: τίμημα· διανέμησις τῆς πολιτείας. διῄρητο γὰρ ἡ

---

[97]) Harp. v. ἄξονι, lex. Bekk. 204, 3 et 413, 15 (cf. Etym. Magn. p. 115 s. v. ἄξονες), schol. Dem. XXIII 31.

πολιτεία κατὰ Σόλωνος εἰς τέσσαρα· πεντακοσιομεδίμνων ***, qui hanc distributionem diserte ad Solonem referunt. neque omnino dubium est, quin in hac enarratione etiam a Pollucis auctore illa Soloni tributa fuerint. sed quamvis frequenter huius instituti mentio apud scriptores fiat, tamen unus Harpocratio auctorem laudat v. *ἱππάς*: . . . *Ἀριστοτέλης δ' ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησὶν ὅτι Σόλων εἰς τέτταρα διεῖλε τέλη τὸ πᾶν πλῆθος Ἀθηναίων, πεντακοσιομεδίμνους καὶ ἱππέας καὶ ζευγίτας καὶ θῆτας* . . . cf. v. *πεντακοσιομέδιμνοι.* idem v. *θῆτες καὶ θητικόν*: . . . *εἰς τέσσαρα διῃρημένης παρ' Ἀθηναίοις τῆς πολιτείας οἱ ἀπορώτατοι θῆτες καὶ θητικὸν τελεῖν. οὗτοι δὲ οὐδεμιᾶς μετεῖχον ἀρχῆς, ὡς καὶ Ἀριστοτέλης δηλοῖ ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ* . . . perspicitur ea, quae ex Aristotele laudantur, etiam apud Pollucem exstare, eadem etiam apud Plutarch. vit. Solon. 18. hunc, si Boeckhium inprimis lege in Demosthenem inserta confidentem sequimur, statuendum est in eo errasse, quod zeugitarum reditum ducentos medimnos fuisse tradidit. nam de librariorum lapsu cogitari nequit, cum de illo numero omnibus grammaticis cum Plutarcho conveniat. fortasse igitur, si non primus, tamen communis Plutarchi et grammaticorum omnium auctor peccavit. sed mittamus haec; id manifestum est Plutarchum prorsus cum Polluce, etiam in verbis, conspirare, nisi quod in fine ille (et schol. Arist. Equit. 627) thetibus *τὸ συνεκκλησιάζειν καὶ δικάζειν* tribuit, hic inscriptionis mentionem facit. e grammaticis praeterea conferas cum Polluce inprimis schol. Arist. Equit. 627 (unde Suidas pendet, ex quo et Photio nondum corrupto haustum est schol. Dem. XIV 23. ex eodem fonte, unde schol. Arist., repetendus est Hesych. v. *ἱππάς*), lex. Bekk. 298, 20 *πεντακοσιομέδιμνοι: οἱ ἐκ τῆς οἰκείας γῆς ποιοῦντες πεντακόσια μέτρα συνάμφω ξηρὰ καὶ ὑγρά*, lex. Bekk. 267, 13 *ἱππάς: γένος Ἀθήνησιν οἱ ποιοῦντες τριακόσια μέτρα, οἱ ἀνὰ λόγον τῆς οὐσίας εἶχον τὸ τέλος*, lex. Bekk. 260, 33 *ζευγήσιον, θητικόν: τέλος ζευγήσιον, ᾧ ἐγίνετο μέτρα διακόσια. ὁ δὲ πένης καὶ ἄπορος θὴς ἐκαλεῖτο καὶ θητικὸν ἐτέλει.* cum iis, quae Pollux de Anthemionis titulo in acropoli posito narrat, fortasse cohaeret Hesychii testimonium *ἀνθέμιον: . . . καὶ τόπος Ἀθήνησιν ἐν τῇ ἀκροπόλει.*

Ille quem supra tetigi error, siquidem error est, Polluci cum aliis est communis, sed habet etiam alterum peculiarem, quem egregie Boeckh (Staatsh. I p. 647 sqq.) et animadvertit et declaravit, ortum e voce *τίμημα* male intellecta. hoc fortasse is, a quo primo Pollucea derivata sunt, non peccaverat, facillime in errorem incidere poterant grammatici, ita ut postremo illud Pollucis *ἀνάλισκον εἰς τὸ δημόσιον* evaderet. tota vero de auctore quaestio eo continetur, num Plutarchus Aristotelem exhibeat. atque in hac quidem re nunc paene omnes videntur consentire [98]. quae si vera est opinio, etiam Pollucea aut maximam partem aut tota ex Aristotele fluxerunt. mihi ne posterius quidem improbabile videtur. nam quae male expressit Pollux, primus auctor fortasse recte exposuerat, ea artissime cum reliquis cohaerent. quod vero Pollux inscriptionem addit memorabilem Anthemionis fortunam celebrantem, hoc sane eximie ad Aristotelem quadrat: legas, quaeso, Schneidewini egregiam Aristotelii operis descriptionem Heraclidis fragmentis (Gottingae 1847) praemissam et mecum consenties. attamen confiteor prorsus certa hoc quidem loco statui non posse, cf. finem huius libelli. — Pollucem exscripserunt schol. Platon. polit. p. 550 C et leg. p. 915 B.

§ 132—133

ὑπηρέται.

Simillima tradunt alii grammatici, ut communis fons certo appareat: lex. Bekk. 234, 15 *δημόσιος: ὁ τῆς πόλεως δοῦλος. ἐγίνοντο δὲ Θρᾳκές τινες ἢ Σκύθαι ἢ ἄλλοι βάρβαροι δοῦλοι πρὸς ὑπηρεσίαν τῶν δικαστηρίων καὶ τῶν κοινῶν τόπων καὶ ἔργων* . . ., Phot. *τοξόται καὶ Σκύθαι καὶ Σπευσίνιοι: οἱ δοῦλοι οἱ δημόσιοι Ἀθήνησιν, ἀπὸ Σπευσινίου τοῦ πρώτου καταστήσαντος αὐτοὺς εἰς τὴν ὑπηρεσίαν*, cf. Phot. in altera glossa *τοξόται* (cod. *τολόται*). quis auctor sit, si frequentis

[98]) nescio enim num Schoemann etiamnunc retineat, quod aliquando (Die Verfassungsgesch. Athens etc. Leipzig 1854 p. 24) arbitratus erat scholiastas et grammaticos Atthidographi cuiusdam (Philochori vel Androtionis) narrationem servare eandemque etiam apud Plutarchum exstare posse.

toxotarum et Scytharum apud Aristophanem commemorationis memineris et si schol. Arist. Acharn. 54 cum Polluce reliquisque grammaticis supra allatis contuleris, minime dubium videbitur: est Didymus in commentariis ad Aristophanem vel in lexico comico[99]). cf. etiam Hesychii decurtatas glossas *τοξόται* et *Σκύθαι* et quae de ratione inter hunc lexicographum Didymique *λέξιν κωμικήν* intercedente monui p. 86.

τέλη.

Cum initio conferas Hesych. *τέλος: τάγμα. πέρας. καὶ τὸ καταβαλλόμενον τοῖς τελώναις* (cf. etiam lex. Bekk. 308, 7). singula paene omnia etiam a reliquis grammaticis commemorantur, a Polluce ipso IX 28. quod attinet ad *δεκατευτήρια* et *δεκάτην*, recte videtur Toupius ad Suid. v. *δεκατευτήριον* suspicatus esse Pollucem (hoc est auctorem eius) ad Xenoph. Hellen. I, 1, 22 *καὶ δεκατευτήρια κατεσκεύασαν ἐν αὐτῇ καὶ τὴν δεκάτην ἐξέλεγον* respexisse. certe vox *δεκατευτήριον* nusquam alibi apud vetustiores scriptores legitur. quae de *ζευγησίῳ* proferuntur, aperto errori debentur; scilicet is, qui primus hoc commisit, vocem *τέλος* falso interpretatus erat. supra (§ 130) verum exhibuerat Pollux.

Πνύξ.

Ex omnibus grammaticis egregie cum Polluce consentit solus Hesychius. cum enim ceteri plerique, qui de Pnyce loquuntur, aut de declinatione aut de etymologia agant, ille haec habet *Πνύξ: τόπος Ἀθήνησιν, ἐν ᾧ αἱ ἐκκλησίαι ἤγοντο πάλαι μὲν πᾶσαι, νυνὶ δὲ ἅπαξ, ὅταν στρατηγὸν χειροτονῶσιν* (ex Hesych. et e Phot. pendet schol. Plat. Critiae p. 112 A). *πρώτου ξύλου* praeter Pollucem mentionem faciunt soli hi: Hesych. *ξύλον πρῶτον: βάθρον τῷ ἐν τῇ προεδρείᾳ καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ τῷ δικαστηρίῳ* et, cuius glossa magis contracta sed minus depravata est, Phot. *πρῶτον ξύλον: πρῶτον βάθρον*

---

[99]) non obstat, quod Etym. Magn. p. 761 post ea, quae Phot. in posteriore glossa habet, addit *ῥητορική*. est enim ipse Photius, quem Etym. Magni conditor ita appellat. vid. M. H. E. Meieri Opusc. acad. II p. 143.

ἡ προεδρία, cf. Phot. v. ξύλον πρῶτον. ψιάθιον denique solus Hesych. declarat: ψιάθια: τὰ ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἐπὶ τῶν καθεδρῶν ἐπιστορνύμενα. auctorem totius loci, sive ille iam ipse eum composuit sive, quod mihi minus probabile est, tantum singulas partes conscripsit a Polluce collectas, non adeo difficile erit investigare. qui enim vocibus πυκνίτης et πρῶτον ξύλον usi sint, ipse Pollux indicat. prior etiamnunc exstat apud Aristoph. Equit. 42 Δῆμος πυκνίτης, ad quem locum hoc scholion pertinet: τόπος Ἀθήνησιν ἔνθα ἔστιν ὅτε ἠκκλησίαζον οἱ Ἀθηναῖοι. πνὺξ γὰρ τόπος ἐν Ἀθήναις, ἔνθα ἡ ἐκκλησία συνεκροτεῖτο. τὸν δῆμον δὲ ὥσπερ πολίτην τῆς πνυκὸς (πυκνίτην addit Suid. v. πυκνί) εἶπε. πνὺξ δὲ λέγεται παρὰ τὸ πυκνοῦσθαι ἐκεῖ τοὺς βουλευτὰς ἢ ἀπὸ τοῦ πεπυκνῶσθαι ταῖς καθέδραις. quamquam vides hic quoque in fine τῶν καθεδρῶν mentionem fieri, tamen, num ad hunc ipsum locum Pollux spectet, dubito, cum neque apud Aristophanem de populi tumultu sermo nec tanta scholii similitudo sit, ut Pollucem inde fluxisse statuere cogamur. deinde πρῶτον ξύλον commemorat Aristophanes in ecclesia Acharn. 24 (cf. schol. ad h. l.), in dicasterio Vesp. 90. quae cum ita sint, admodum verisimile est totum locum e commentario quodam vel lexico comico manasse, sine dubio Didymi, cuius λέξιν κωμικὴν constat totam in Hesychii lexicon transiisse.

§ 141—142

περισχοινίσαι: reliqui tacent. cf. § 123.

τρεῖς θεοὺς ὀμνύναι.

Huius rei memoria apud solum Hesychium exstat: τρεῖς θεοί: παρὰ Σόλωνι ἐν τοῖς ἄξοσιν ὅρκῳ τέτακται. ἔνιοι κατὰ τὸ Ὁμηρικόν. non conveniebat igitur inter veteres grammaticos, qui dii significarentur. apud Pollucem unus Iuppiter intellegitur[100]), Hesychius illam sententiam omittit et aliorum profert, qui ad Homeri illud αἲ γάρ, Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον spectabant (cf. Demosth. XXI 198).

---

[100]) cf. Welcker, Griech. Götterlehre III p. 5 not. 6. Preller, Griech. Mythol. I³ p. 87 not. 1.

§ 155

θόλος.

E grammaticis maxime huc faciunt Harp. *θόλος: . . . ὁ τόπος ἔνθα ἐδείπνουν οἱ πρυτάνεις οὕτως ἐκαλεῖτο παρ' Ἀθηναίοις. Ἀμμώνιος γοῦν ἐν δ' περὶ βωμῶν γράφει ταυτί „ὁ δὲ τόπος ὅπου ἑστιῶνται οἱ πρυτάνεις καλεῖται θόλος, ὑπ' ἐνίων δὲ σκιάς, διὰ τὸ οὕτως ᾠκοδομῆσθαι αὐτὸν στρόγγυλον παρόμοιον θολίᾳ* et Hesych. *θόλος: . . . ἢ ὅπου οἱ πρυτάνεις καὶ ἡ βουλὴ συνειστιῶντο . . .* cf. Timaei lex. Plat. s. v. si apud Hesychium legimus *οἱ πρυτάνεις καὶ ἡ βουλή*, id fortasse inde ortum est, quod olim haec ita fere ut apud Pollucem exposita erant, tum excerpentium et describentium socordia paullatim depravabantur.

Haec habui, quae de singulis locis dicerem. vidimus Pollucem saepe optima, saepe deteriora, saepe aperte falsa tradere. itaque vel maxime lubricum est, ne dicam perversum, non solum ex altero loco de altero, sed etiam ex altera parte unius eiusdemque loci de altera aliquid concludere: nam qui modo pessime erravit, idem persaepe statim verissima tradidit. sed semper singuli loci separatim erunt tractandi et separatim ad fontem, si fieri poterit, referendi. deinde ubicumque aliquid parum recte videbitur expositum esse, diligenter erit inquirendum, num forte vitium inde ortum esse possit, quod Pollux ampliora testimonia inepte excerpserit et, quae necessaria erant, temere omiserit.

Sed iam, ubi certa iecimus fundamenta, eum auctorem conemur indagare, quo ipse Pollux usus sit.

Caput II

In hac quaestione ab ipso Polluce nihil adiuvamur. nam in praefatione octavo libro praemissa ad rationem ab ipso observatam nihil nisi id pertinet: *ταῦτα ἐγὼ συνελεξάμην, ὅτι μὲν διὰ ταχέων, αὐτὸ δηλοῖ.* atque hoc quidem quam vere dixit Pollux! tamen inde concludere licet eum hic non ut in aliis operis partibus [101]) complurium auctorum conglutinationi laborem impendisse, sed singula uno tenore descripsisse. atque ita rem se habere vidimus, ubicumque reliqui grammatici nos non deseruerant. hoc videtur etiam Althaus intellexisse, qui, cum contra Rohdium eo argumento utatur „ut aliis locis non unum tantum sed complures simul auctores Nostro suppetiisse viderimus, ita in rebus scaenicis quoque evenisse" probabile esse, nihilosetius in fine opusculi sui (p. 38) de octavo libro sic suspicatur: „tum sequetur de libro octavo quaestio singularis, in quo quum adhuc [?] unum Aristotelem Pollucis fontem vocari videam, iam nunc eius alterum fontem Philochorum fuisse affirmare non dubito; at cautione nobis opus erit, ne illos ipsos a Nostro adhibitos putemus, ubi fortasse ex tertio aliquo pendet, qui illorum utrumque in brevius contraxerat (etsi dubitanter, nomino Caecilium Caleactinum)." qua in dubitatione fateor me cum Althausio plane consentire. quid enim? e Caecilii lexico [102]) quattuor tantum supersunt fragmenta: primum apud Harp. v. *ἐξούλης*, sed Pollux § 59 plane contraria narrat; secundum apud Ammonium *θεωρὸς καὶ θεατὴς διαφέρει: . . . διαστέλλει*

---

[101]) cf. Althausii librum not. 2 laudatum inde a p. 23.

[102]) Caecilii rhetoris fragmenta collegit etc. Theoph. Burckhardt, Basileae 1863, p. 15. cf. Blass, Die griech. Beredtsamkeit von Alexander bis August, Berlin 1865, p. 177 not. 1.

οὖν τοῦτο ἐπιμελῶς Λυσιμαχίδης ἐν τῷ πρὸς Καικίλιον περὶ τῶν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ῥήτορσιν (cod. *ῥητόρων*) [*ὀνομάτων*]... *καὶ τὸ τοῖς Ἀθηναίοις διδόμενον θεωρικὸν οὐχὶ* [*διὰ*] *τὰς θέας, ὡς Καικίλιος ὑπέλαβεν, ἀλλὰ διὰ τὸ ἐν ταῖς ἑορταῖς εἰς τοὺς θεοὺς εὐσεβεῖν καὶ ἐπιθύειν καὶ εὐφραίνεσθαι.* vides Pollucem § 113 non solum ea non habere, quae Caecilius, sed eadem ipsa, quae Lysimachides ut vera falsae Caecilii sententiae opponit. restant duo fragmenta in lex. Cant. v. *προβολή* et *εἰσαγγελία*, quae revera cum Polluce congruunt. sed non solum ea, quae ut ipsius Caecilii verba proferuntur, consentiunt, sed totae fere glossae. itaque quaerendum erit, quid Caecilii, quid lexicographi Cant. proprium sit. quod cum nihil ad posteriorem Pollucei libri partem pertineat, nunc mitto. quo ipse tendam, opinor iam omnes animadvertisse. quamquam vero multo ante, quam Rosei librum inspexi, cum veterum libris perlustrandis occupatus essem, ad eandem sententiam perveni, tamen quam meis malo egregii viri verbis uti, qui primus verum vidit. Rose igitur p. 426, cum dixisset sibi Didymum Aristotelia lexicis tradidisse videri, haec addit: „neque obstat quod nunquam ille diserto testimonio a Polluce citatur neque qui ex eius thesauris lexica sua excerpserunt (Pamphilum enim a Polluce exscribi puto, non ipsum Didymum, cf. e. g. Pamphilum apud Athen. XI 496a s. *πλημοχόη* = Poll. 10, 73). est enim fere labentis eruditionis ea consuetudo et apud veteres inde a primo post Chr. seculo et medio aevo late patens, ut quo scriptore quasi quodam fundamento omnis opera superstructa est, hunc vix vel raro commemorent, describant vero cum ipsis rebus etiam nomina auctorum, quibus ille usus sit, falsa propriae lectionis specie iudices parum litteratos decipientes.“ adde, quae idem p. 457 optime disseruit de Poll. VI 35, de Athen. p. 235 B, quem saepissime Pamphilo usum esse nunc scimus, de Hesych. v. *παράσιτοι.* nam equidem facere non possum, quin C. F. Rankio, Roseo, M. Schmidtio et inprimis S. A. Nabero [103]) assentiar statuenti

[103]) Ranke, De lexici Hesychiani vera origine et genuina forma, Lipsiae et Quedlinb. 1831. Schmidt, Quaestiones Hesychianae in IV volumine editionis, Ienae 1864. Naber, Prolegomena ad editionem Photii, Leidae 1864.

Zopyrionem Pamphilumque a Vestino excerptos esse, Vestinum a Diogeniano, Diogenianum ab Hesychio. fortasse etiam ex meo opusculo aliquis fructus ad illam quaestionem redundabit, quam tamen ipsam hoc loco ne tangere quidem volo. ceterum mihi non est improbabile Pollucem non ipso Pamphilo usum esse, sed Vestini epitome. iam igitur si demonstrari potest tantum non in omnibus rebus Pollucem cum Hesychio consentire et, sicubi quaedam diversa sunt, qua ratione id factum sit, si potest explicari, nulla, opinor, de mea sententia dubitatio restabit. illud statim hic adiungam etiam de iis, quae nunquam Athenis exstiterint, de quibus omnis reliquorum grammaticorum turba bene sileat, Hesychio cum Polluce convenire: cf. Poll. § 101 *εἰσαγωγεῖς* et Hesych. *εἰσαγωγή*, fortasse etiam Pollucis dicasterium *ἐπὶ Λύκῳ* et Hesychii *ἐπὶ Λύκειον.* sed antea breviter quaedam praefabor.

Ac primum quidem in octavo libro errorem Pollucis deprehendimus, qui, si ille auctorem Atticas antiquitates uno tenore describentem adhibuisset, vix posset explicari. neque enim tantam neglegentiam vel tantum stuporem Pollucis fuisse putaverim, ut ex eiusmodi auctore *ὑβριστοδίκας* (§ 126) in magistratuum numerum reciperet. potuit autem facillime in hunc errorem induci, si lexicon evolvebat. scilicet altera vocabuli parte deceptus est. saepe deinde observavimus auctores, qui coniuncti in aliis lexicis vel scholiis apparebant, eosdem coniunctione non soluta etiam apud Pollucem exstare. maxime hoc vidimus collato Harpocratione, qui ipse quoque certe multa scholiis ad oratores conscriptis debet. quis vero credat Pollucem ad suum opus conficiendum ipsa scholia adiisse et ex his opera laboriosissima, quae ad antiquitates facerent, conquisivisse? exemplo sit § 128, in qua de *κύρβεσι* et *ἄξοσι* agitur. rectissime in universum Rose p. 414 sq. exponit ex Didymi lexico comico omnia, quae in lexicis v. *κύρβεις* et in scholiis exstant, excerpta videri. neque minus recte addit: „ceterum de eadem re saepius in commentariis Didymum egisse vides ex Harp. p. 136, 10 [v. *ὁ κάτωθεν νόμος*], ubi et lemma et scholium ductum est e Didymi commentario ad Demosth. orationem

contra Aristocratem (or. 23, 28. cf. Harp. s. ἄξονι)." Harpocratio certe et glossam ὁ κάτωθεν νόμος et gl. ἄξονι e Didymi Demosthenico commentario sumpsit. iam cave credas Pollucem ipsum sua ex hoc hypomnemate hausisse. nam etiamsi Demosthenici loci, ad quos illa scholia pertinebant, non ita procul a se absunt et in Polluce minime obstat, quod alio ordine haec in scholiis exhibebantur, alio apud Pollucem leguntur (apud Demosthenem enim ὁ κάτωθεν νόμος praecedit vocem ἄξονι), tamen κύρβεις vox in principio posita nos ad auctorem ducit, qui et ipse inde initium fecerit. etsi vero Schmidtium sequeris docentem Didymum saepe in κωμικῇ λέξει ipsius explicationes e commentariis suis repetiisse [104]), nihilominus, cum eius declarationes apud Harp. v. ὁ κάτωθεν νόμος nihil ad κύρβεων et ἀξόνων explicationem pertineant et non nisi ad Demosthenis locum faciant, ipsum Didymum illa omnia in λέξει κωμικῇ coniunxisse non crediderim. at quem magis arbitremur copiosam Didymi his de rebus doctrinam in lexico comico commentarioque Demosthenico dispersam congessisse quam Pamphilum? apud Hesychium quoque haec exhibentem κύρβις: στήλη τρίγωνος, ἢ ξύλινος ἄξων, ἐν ᾧ τὸ παλαιὸν οἱ νόμοι ἐγράφοντο ego Pamphilei thesauri disiecta membra agnoscere mihi videor dissentiens a viris doctis. Nauckium (Aristophanis Byzantii fragmenta colleg. etc. A. Nauck, Halis 1848, p. 220) enim, qui Hesychium Aristophanem sequi arbitrabatur, bene refellit M. Schmidt (Didymi fragmenta colleg. etc. M. Schmidt, Lipsiae 1854, p. 59) — scilicet Aristophanem quadrangulares definivisse tabulas illas scimus — sed ne id quidem, quod ipse protulit recepitque Rohde (loco not. 1 laudato p. 17), eum Eratosthenis sententiam referre, probare possum. primum enim ipsum illud ἢ suadet nos hic duas diversas explicatio-

[104]) simile aliquid statuendum erit de iis, quae Rose ad Didymi λέξιν κωμικήν, Prinz, De Solonis Plutarchei fontibus, Bonnae 1867, p. 28 (cf. p. 29), ad eiusdem περὶ τῶν ἀξόνων τῶν Σόλωνος ἀντιγραφὴν πρὸς Ἀσκληπιάδην referre mavult. nam ut Plutarchum vit. Sol. 25, qui cap. 1 hunc ipsum librum citaverat, ex eodem illa sumpsisse paene pro explorato est habendum, sic eadem vel certe similia ne a comico quidem lexico afuisse persuasum habeo.

nes habere, deinde *στήλη* ab Eratosthene aliena alium auctorem monstrat. Eratosthenis sola posterior explicatio est, prior cui tribuenda sit, statim videbimus. *στήλῃ* enim voce in *κύρβεσι* declarandis usus est Apollodorus (vide Harp. v. *κύρβεις* et schol. Apollon. Rhod. IV 280). iam si eundem apud schol. Arist. Av. 1354 Aristotelis nomine eiecto[105]) *κύρβεις* sic definire viderimus: *ἄξονες τρίγωνοι, ἐν οἷς ἦσαν οἱ τῶν πόλεων νόμοι γεγραμμένοι καὶ αἱ δημόσιαι ἱεροποιίαι, καθάπερ* (*καὶ Ἀριστοτέλης*) *φησὶ καὶ Ἀπολλόδωρος* (etiamsi fortasse accuratius sit schol. Apollon. l. l. *Ἀπολλόδωρος δέ φησι πᾶσαν δημοσίαν γραφὴν καὶ νόμους κύρβιν καλεῖσθαι*), sine dubio etiam Timaeum lex. Plat. *κύρβις*: *στήλη τρίγωνος πυραμοειδής, νόμους ἔχουσα περὶ θεῶν* hinc pendere iudicabimus itemque decurtatam Hesychii explicationem *κύρβις*: *στήλη τρίγωνος*. miserrimas lacinias habes ex amplissima copia. Hesychio simillima praebet principium scholii Apollon. Rhod. l. l. ipsum quoque vehementer turbatum.[106])

Insunt autem in octavo Pollucis libro etiam, quorum non modo lemmata sed etiam explicationes manifesto ad comicos spectent. quae suo quidque loco adnotavi. lemmata autem dico: nam paene omnia glossarum speciem prae se ferre nullo vinculo inter se coniunctarum quis non videt? sunt praeterea certa indicia, quae ad lexicorum usum nos ducunt. inspicias, quaeso, §§ 108—111: primum *δήμαρχοι* explicantur, tum *ναυκραρία,* postremo *φυλαί.* sed si quis secundum naturam rerum procedere volebat, debebat ordinem plane invertere. primo loco disserendum erat de phylis, has excipere debebant naucrariae, in harum locum secundum ipsum Pollucem successerunt demi, in naucrarorum demarchi. unde igitur iste Pollucis ordo? scilicet primo adiit in lexico suo vocem *δήμαρχοι*, ibi commemorabantur *ναυκραρίαι.* itaque cum illam descripsisset, hanc glossam quaesivit. ibi phylarum mentio fiebat; quare adiit vocem *φυλή*, unde reliqua descripsit. at, inquit Rohde (l. l. p. 11), nullis

---

[105]) cf. Rose p. 413.

[106]) *κύρβιας*] *στήλας. λέγει δὲ τοὺς ἄξονας, ἐν οἷς οἱ νόμοι γράφονται, ὡς Ἀριστοφάνης ὁ κωμικός.*

usus est Pollux doctrinae receptaculis ita institutis, ut secundum litterarum ordinem singulae voces collocatae essent. sed confidentius hoc dictum est. iam in principio opusculi mei indicavi Pollucem ut rhetorem antiquitatum Atticarum publicarum minime plane imperitum fuisse: vel ex oratorum studiis si nihil aliud saltem nomina singularum rerum noverat; praeterea Pollux, cum hunc librum componeret, in ipsa Athenarum urbe versabatur, ubi etiamtum magna pars vetustorum et magistratuum et rituum exstabat. itaque si Pollucem et ipsius memoria et auctoris locus modo exscriptus (certe saepius hoc factum est) ad novas eiusdem argumenti res duxerunt, quo commodiore auxilio uti poterat, quam lexico ad litterarum ordinem digesto? multo etiam facilior eius labor erat, si Schmidtio (l. l. cap. IX) credimus Pamphilum intra unamquamque litteram res eiusdem generis et argumenti non separasse, sed suo quidque genus loco congregatum exhibuisse.

Neve id mihi quisquam obiciat Pollucem iisdem fontibus usum esse, quibus Hesychiani lexici auctorem. nam primum, si Pollucis auctorem quaerimus, desideramus scriptorem, qui non solum rhetorum glossas, sed etiam comicorum respexerit: Pamphilus hoc praestitit. deinde si, ut ea mittam, quae praeter Pollucem solus Hesychius tradit, si Pollux modo cum Harpocratione, modo cum lexico Cantabrigiensi, modo cum Photio, modo cum scholiis oratorum, modo cum Aristophaneis, modo cum Platonicis, modo cum aliis scriptoribus consentit, sed Hesychianae reliquiae etiam in summa reliquorum grammaticorum dissensione et in cuiuslibet argumenti rebus paene semper cum Polluce conspirant, quis aut casu hoc factum aut fontes ubique communes fuisse censebit? at equidem non nego Polluci et Hesychio eundem auctorem fuisse, sed hic auctor fuit ipse Pamphilus.

His expositis accuratius in singula inquiramus. saepe Hesychius aut solus praeter Pollucem rem quandam commemorat aut prae ceteris cum Polluce facit. interdum in brevioribus glossis congruit quidem Pollux cum Hesychio, tamen magis cum Photio conspirat — sive hic paulo amplior est sive ipsa verba similiora vel minus depravata sunt — sed id quoque egregie me adiuvat, cum constet Photium Dioge-

nianum saepe aut ipsum aut per Aelii Dionysii Pausaniaeque lexica exscripsisse. et illos locos et hos iam in priore capite semper adnotavi et hic repetere nihil attinet, quare brevius rem exponere licebit. multa autem, quae Pollux explicat, in toto Hesychiano lexico frustra quaeres, ne minima quidem vestigia supersunt. sed cui hoc mirum videbitur, si etiam in ipso uno codice, qui adhuc exstat, persaepe duas glossas in unam coaluisse, persaepe glossarum lemmata, persaepe lemmatum explicationes periisse etiamnunc observare possumus? effinge tibi animo inde a Pamphilo usque ad Hesychium excerpentium seriem, effinge longam librariorum tam facile in libro labentium, in quo innumerabilia vocabula post breve spatium sese excipientia ab iisdem litteris incipiunt. hoc tandem aliquando illi, qui Hesychium non a Pamphilo manasse affirmant, desistant proferre: multa Diogenianea hodie non reperiri apud Hesychium. nempe vanissimum istud est argumentum. nihil mirabimur tales locos, ut § 114 sq., si magistratus, qui *ὑπηρεσιῶν* nomine comprehenduntur, paene omnes apud Hesychium non commemorari videmus. hos enim, ut supra indicavi, non Pollux ipse conquisivit, sed in una Pamphili glossa repperit, cuius forsitan nunc quoque restant reliquiae in Hesychiana glossa *ὑπηρέτης: δοῦλος.*

Constat enim Hesychium saepissime longiores grammaticorum locos vehementissime contractos vel mutilatos praebere. hoc ne ii quidem negare possunt, qui Hesychium non ex Pamphilo originem duxisse contendunt. atque hoc apparet non solum ex Hesychio cum Athenaeo comparato, sed etiam elucebit, ubi eum cum aliis contuleris; cf. e. g. Hesych. et Harp. v. *γεννῆται,* eosdem v. *δήμαρχοι,* Suid. (e schol. Arist. Equit. 627) et Hesych. v. *ἱππάς* etc.; infra aliud luculentum addam exemplum. ac multae Hesychii glossae nunc adeo sunt contractae, ut inde de Polluceis testimoniis aliquanto amplioribus nihil possit colligi. tales glossae sunt: *περίπολος: φρουρός, ἔφορος; λογιστής: κριτής, δοκιμαστής, ἐξεταστής; εὔθυνος: εὐθυντήρ, δικαστικός, χρεώστης, κυβερνήτης, διορθωτής* etc. optime, quomodo apud Hesychium satis copiosa narratio in angustissimos fines redacta sit, demonstrari poterit voce *γραμματεύς: ὁ ἀναγνώστης. γράμματα εἰ-*

δὼς καλῶς. unde hoc (dico priorem significationem) manaverit, docet lex. Bekk. 226, 30 γραμματεύς: καὶ τὸν γραμματέα ὁ δῆμος χειροτονεῖ ἀναγνωσόμενον αὐτῷ καὶ τῇ βουλῇ. καὶ οὗτος οὐδενὸς τὸ σύνολον ἄλλου ἐστὶ κύριος ἢ τοῦ ἀναγνῶναι. ἔστιν οὖν ἀναγνώστης. vides ea, quae in fine huius glossae ut summa totius explicationis adduntur, sola ab Hesychio servata esse. atque totam glossam lexici Bekk. rursus partem esse ex uberiore fonte derivatam e Suida quamvis detruncato discimus: γραμματεύς: ... κληρωτοὶ δὲ ἦσαν τὸν ἀριθμὸν τρεῖς, γράφοντες τὰ δημόσια. οὐδενὸς δὲ ἦσαν οἱ γραμματεῖς οὗτοι κύριοι, ἀλλ' ἢ τοῦ γράφειν καὶ ἀναγνῶναι. hic habes tres scribas publicos ut apud Pollucem, apud Hesychium unius vix umbram. — paulo aliter res se habet in v. πωληταί. Rose p. 441 in Hesychii verbis πωληταί: οὗτοι ἐπώλουν τὰ ἐνεχυρασθέντα· ἀρχή τις Pollucem (§ 99: ἀπήγοντο δὲ πρὸς τούτους καὶ οἱ μετοίκιον μὴ τιθέντες = Harp. v. μετοίκιον) agnoscere sibi videbatur. ego aliter censeo: si scriptum esset τοὺς ἐνεχυρασθέντας, hoc ad metoecos referre necesse esset: nunc, cum neutrum exstet, multo id generalius dictum est. orationem sane vehementer contractam vel potius mutilatam video in postremis verbis ἀρχή τις (cf. Harp.: οἱ μὲν πωληταὶ ἀρχή τις Ἀθήνησιν κ. τ. λ., lex. Bekk. 291, 17, Etym. Magn. s. v. p. 698), praecedentia aliunde hausta sunt[107]). certe si ἀρχή τις cum prioribus arte cohaerere voluisset Hesychius, debebat, ut alibi persaepe fecit, statim post πωληταί ponere. itaque hic duarum explicationum reliquias habemus. — tertium his exemplum accedat vox γεραραί: ἱέρειαι κοινῶς, ἰδίως δὲ αἱ παρ' Ἀθηναίοις αἱ τῷ Διονύσῳ τῷ ἐν Λίμναις τὰ ἱερὰ ἐπιτελοῦσαι τῷ ἀριθμῷ ιδ'. aliquid ab Hesychio recedit Pollux § 108, aliquid ab utroque Aelius Dionysius in Etym. Magn. p. 227 γεραῖραι: παρὰ Ἀθηναίοις γυναῖκές τινες ἱεραί, ἃς ὁ βασιλεὺς καθίστησιν ἰσαρίθμους τοῖς βωμοῖς τοῦ Διονύσου, διὰ τὸ γεραίρειν τὸν θεόν. οὕτω Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασεύς. tamen ex eodem fonte eos hausisse pro certo affirmari potest. constat enim Dionysium saepissime

---

107) solus Hesychius ex omnibus auctoribus hac in re pignerationis mentionem facit.

Diogeniani lexicon usurpasse, Hesychium hoc paene integrum servasse. itaque si Dionysium Hesychiumque in unum coniungimus, habemus fere Diogeniani glossam, quae iam paene omnia a Polluce memorata continet. si qua desunt, memineris velim a Polluce non Diogenianum, sed Pamphilum (vel Vestinum) excerptum esse, quem epitomatore suo uberiorem fuisse necesse est. praeterea in hoc exemplo id non est neglegendum, quod etiam Hesychius quaedam habet, quae apud Pollucem desunt. talia (non ita multis quidem locis hoc in priore capite observare poteramus) nobis indicio esse debent ipsum quoque Pollucem non solum descripsisse, sed etiam excerpsisse. ita res se habet in Poll. § 142 et in Hesych. gl. *τρεῖς θεοί*, ubi alter alterum supplet. nam is, quem Pamphilus exscripsit, vel ipse Pamphilus sine dubio complurium hac de re opiniones collegerat, cuius rei vestigia superesse videntur in Hesychii vocabulo *ἔνιοι*.

Ad aliam quaestionem nos traducit Hesych. *ἐννέα ἄρχοντες*: *ἀρχὴ διὰ ἐννέα ἀρχόντων.* etsi Hesychius ita videtur intellegendus esse, ut verba *ἐννέα ἄρχοντες* ipsum munus ab archontibus gestum significent vel, ut barbaro vocabulo utar, archontatum, tamen quin haec epitomatori debeantur fontem suum satis fortiter resecanti et quin has reliquias descriptio ipsius muneris secuta sit, vix potest dubium esse. at simillimo exordio utitur Pollux § 88 subtilitate tamen illa neglecta et excipit illud exordium copiosa de archontibus expositio, quam uno tenore ex Aristotele sumptam esse in cap. I vidimus. sed praeter illam glossam suis locis apud Hesychium peculiares glossas reperimus: *θεσμοθέται* iusto breviorem, *πολέμαρχος* brevissimam et rem ex etymologia explicantem, *βασιλεύς*: *ἄρχων τις Ἀθήνησιν, μυστηρίων προνοῶν*, quam cum Polluce conferas. probabile est aut tales peculiares glossas e maioribus, quae olim fuerant (hac in re *ἐννέα ἄρχοντες*), excerptas esse aut iam ipsum lexici conditorem praeter illas maiores glossas, ne quis frustra explicationem quandam quaereret, in suis litteris proprias singulorum nominum posuisse. ubicumque prius factum est, per se patet in peculiaribus glossis eadem tradi debere, quae in maioribus legebantur. ubi posterius accidit, saltem verisimillimum est lexici conditorem et in maioribus et in minoribus glossis eosdem fontes ex-

scripsisse. in universum igitur a veritate non aberrabimus, si statuemus eadem, quae nunc in peculiaribus glossis leguntur, olim etiam in maioribus exstitisse, sive illae nunc nimis contractae vel mutilatae sunt sive plane interierunt. quae cum ita sint, quotienscumque singulas partes longiorum Pollucis testimoniorum cum Hesychii glossis non ad idem lemma, ad quod totus Pollucis locus, spectantibus conspirare videbimus, confirmabitur mea de Polluce Pamphiloque sententia. sic si Hesychii glossas *Πνύξ*, *ξύλον πρῶτον*, *ψιάθια* componimus, paene ipsum Pollucem (§ 132 sq.) habemus, et hic certe illa in una glossa collecta invenit. sed apud Hesychium maior glossa ab excerpentibus mutilata est, duae minores integrae ad nos pervenerunt. — paulo confidentius eandem rem statuere possumus in § 113 (*κρηνοφυλάκιον*), ubi diversas res coniunctas et particulam *δέ* male positam, deinde duas Photii glossas aperte partes totius loci esse in cap. I vidimus. hic si quaeritur, utrum Pollux ipse glossas illas in unam composuerit an iam compositas invenerit, posterius verum esse facile intellegitur. neque enim omnino excogitari potest, quomodo Pollux, si ipse illas glossas coniunxisset, verba *ἐν ταῖς — δίκαις* tam male non ad *τὸν ἐφ' ὕδωρ*, sicut apud Photium est, sed ad *κρηνοφύλακα* relaturus fuerit. itaque locum iam compositum repperit; id concedendum erit fortasse nulla particula (*δέ*) alteram loci partem alteri adiunctam fuisse. atque hoc eo facilius statuere possumus, quod revera res nullo iusto vinculo continentur. sed hucusque Photium cum Polluce comparavimus, utpote qui manifesto cum hoc conspiraverit; nunc ad Hesychium nos convertamus. hic v. *κρηνοφύλαξ: ὁ τὴν κρήνην φυλάσσων* revera nihil aliud habet, quam quod in initio Pollux, reliqua ab iis, qui Pamphilum in epitomes formam redegerunt, resecta sunt. fortasse Hesychius principalem glossae formam servavit, pro qua explicatione rhetor suam substituit. sed hoc nihil nostra interest. communem cum Photio originem quamquam aliquantum obscuratam licebit etiam in altera Hesychii glossa *ἐφ' ὕδωρ λαχεῖν: λαγχάνει τις ὕδωρ παρατηρήσων τὸ ἐν ταῖς δίκαις* agnoscere. hanc glossam non ad proverbia *εἶτ' ἐφ' ὕδωρ κακόν* (*κακός*) et *ἐφ' ὕδωρ ἔλαχεν* declaranda, ut volunt, pertinere, si illorum explicationes in Plutarchi proverb. II 17

(= Suid. s. v.) et in corporis paroem. Gotting. appendice II 92 inspexeris, facile apparebit. — sed illa de maioribus et minoribus glossis, quamvis per se sint verisimilia, ego non, ut meae ipsius sententiae inservirem, finxi, sed etiamnunc exstant apud Hesychium certa huiusmodi exempla. ex omni numero satis erit duo, unde aliquid de ipso Polluce proficiamus, accuratius considerasse. iam in priore capite indicavi Hesychii glossas *θεωρικὰ χρήματα* et *θεωρικὸν ἀργύριον* ex una duas factas esse mihi videri. posterioris ut communem cum Polluce fontem statuamus, rerum tenor cogit, priorem ut eodem referamus, maior et manifestior verborum similitudo. noli enim hac in re etiam ipsum lemma neglegere. Pamphili glossam ita fere comparatam fuisse suspicari licet: *θεωρικὰ χρήματα: τὰ εἰς θεῶν τιμὰς καὶ ἑορτὰς διδόμενα ἐν τοῖς Παναθηναίοις καὶ Διονυσίοις. ἅτινα ἐν τῷ θεάτρῳ ἐδίδοτο ἕνεκα τοῦ καὶ τοὺς πένητας μετέχειν τῶν θεωριῶν. οὐ μόνον δὲ τοῦτο ἐλέγετο θεωρικὸν ἀργύριον* (fortasse hic alius auctor laudatus erat), *ἀλλὰ πάντα τὰ διανεμόμενα τῷ πλήθει, ὥσπερ καὶ τὸ ἐκκλησιαστικὸν κ. τ. λ.* — luculentissimum huius generis exemplum M. Schmidt nobis eripere voluit, dico glossam *δικαστήρια Ἀθήνησιν*, quam e quattuor separatis glossis conflatam esse censet. quod quam falsum sit, is facile videbit, qui singulas cum hac comparaverit. accedit huc, quod singulorum dicasteriorum ordo in maiore glossa non est litterarum, sed is quem et Demosthenes observavit et Pollux atque hic quidem ad idem lemma: *δικαστήρια Ἀθήνησιν.* singula quoniam cum Polluce conspirare manifestum est (finis scilicet aperte est mutilatus), nihil amplius hac de re disputare volo, sed alia addam. Hesych. v. *Ἄρειος πάγος* habet haec: *Ἀθήναις δικαστήριον ἐν τῇ ἀκροπόλει.* tamen nunquam, quantum scio, Areopagitae in acropoli convenerunt. itaque hoc testimonium plane est confictum? mihi quidem non videtur. videmus enim in longiore glossa (*δικαστήρια Ἀθήνησιν*) primum de Areo pago agi, tum de senatu quingentorum (hoc Pollux in dicasteriorum enumeratione bene omisit); scimus deinde hunc senatum interdum in acropoli consedisse (cf. Xen. Hellen. VI, 4, 20): quare suspicor acropolis mentionem in separata glossa ad senatum quingentorum pertinere et locum violenta contractione ita, ut nunc eum

legimus, depravatum esse. Hesychii glossam *ἀγνῶτες* e Phanodemi et Clitodemi narrationibus conglutinatam esse iam vidimus; itaque secundum ea, quae in cap. I de auctore has narrationes exhibente exposui (ad § 118 et 125), statuendum erit etiam hanc glossam excerptam esse e permagna illa *δικαστήρια Ἀθήνησιν*. scilicet illae narrationes coniunctae in scholiis Demosthenicis exstabant ibique capitalia dicasteria eodem ordine proferebantur quem Hesych. v. *δικαστήρια Ἀθήνησιν* observat. ad eandem Hesychii glossam refero etiam ea, quae Pollux § 121 habet; hinc igitur fortasse etiam glossa *ἐπὶ Λύκειον* manavit errorem nondum tam apertum continens, quam qui apud Pollucem nunc exstat. id quoque mihi admodum est probabile Pollucem ex eadem Pamphili glossa etiam §§ 122—124 proprio lemmate carentes sumpsisse. tamen si cui glossa, quae ita apud Pamphilum statuenda est, maior videtur, libenter concedo Pollucea fortasse duabus glossis (alterius glossae lemma sit *δικασταί* vel simile aliquid) tribuenda esse.

Restat, ut eas Hesychii glossas contemplemur, quae a Polluce abhorrere videantur aut revera abhorreant. alium fontem ac Pollux (§ 100) Hesychius videbatur secutus esse v. *τριάκοντα: οὗτοι ἐχειροτονοῦντο δικασταὶ Ἀθήνησιν, οἵτινες ἐζημίουν(το) τοὺς μὴ παραγενομένους τῶν πολιτῶν εἰς ἐκκλησίαν*. sed hoc ipsum exemplum vel duorum locorum Polluceorum cum Hesychiano fonte consensum clare demonstrat. ordiamur necesse est a Phot. *τριάκοντα: πρῶτοι μὲν οἱ κατὰ πόλιν δικασταί, δεύτεροι οἱ κατὰ δήμους τριάκοντα, τῆς ἐκκλησίας ἐπιμελούμενοι μετὰ τῶν ληξιάρχων· οὕτως Φρύνιχος*. primus Meier (Att. Proc. p. 80 not. 43) animadvertit verborum *πόλιν* et *δήμους* alterum in alterius loco ponendum esse. duplex igitur fuit genus trigintavirorum: alterum eorum qui per pagos ius dicerent (Poll. § 100), alterum quod in contionibus, ne quid delinqueretur, prospiciebat (Poll. § 104); alteri erant *κληρωτοί* (cf. Phot. v. *τετταράκοντα*), alteri *χειροτονητοί* (Pollux rectius, ut videtur, eos *προσαιρεθέντας* appellat). confunduntur haec duo genera a lex. Bekk. 309, 33 *τίνες ποίων δικαστηρίων εἶχον τὴν ἡγεμονίαν: . . . οἱ τεσσαράκοντα, οὓς ἐχειροτόνουν μάλιστα φυλάττειν τὸν δῆμον, οὗτοι ἕως ἦσαν τριάκοντα, ἕως δέκα δραχμῶν ἐδίκαζον κατὰ*

δήμους, confunduntur etiam ab Hesychio. nam ab hoc non de altero genere solo agi, exile sed certum documentum relictum est vocabulum *δικασταί*, ut quod prorsus non quadret ad eos, quibus ordinis in contione servandi cura mandata erat. hucusque etiam Rose p. 448 rem exposuit Meierum inprimis secutus[108]). sed longius progredi licet. apud auctorem lexici Bekk., ubi duo illa genera confunduntur, etiam de numero prioris generis mutato sermonem fuisse docent verba *οὗτοι ἕως ἦσαν τριάκοντα*; ideo similia etiam in Hesychii fonte exstiterint. at praeter hos certe eiusdem fontis locos nullus alius grammaticus quidquam de ista mutatione addit nisi Pollux Harpocratioque, quorum utrumque sua Aristoteli debere supra vidimus. hinc satis certo possumus concludere, ut Hesychius in trigintaviris lexiarchorum adiutoribus proxime ad Pollucem accedat (id quod unicuique patet), ita etiam in altero genere trigintavirorum olim Pamphileum lexicon cum Polluce conspirasse. — difficilior quaestio est de § 104 (*περιστίαρχοι*). Pollux cum Harpocratione et inprimis cum schol. Aeschinis consentit in eundemque modum reliqui plerique exponunt. aliter narrat Hesychius et v. *περιστίαρχος*: *ὁ περικαθαίρων τὴν ἑστίαν καὶ τὴν ἐκκλησίαν* et v. *κάθαρμα*: *τὸ χοιρίδιον, ᾧ τὴν ἑστίαν ἐκάθαιρον ἐν ταῖς ἐκτροπαῖς. ὁ δὲ ἐπιτελῶν δημοσίως περιστίαρχος ἐλέγετο.* iam in partem vocemus Photium: *περιστίαρχος*: *ὁ περικαθαίρων τὴν ἑστίαν καὶ τὴν ἐκκλησίαν καὶ τὴν πόλιν, ἀπὸ τῆς ἑστίας ἢ τοῦ περιστείχειν.* vides, quae apud Hesychium secutura fuerint, nisi piger resecuisset epitomator, vides etiam in Hesychii fonte exstitisse, quam Harpocratio repetiit, etymologiam. neque equidem dubito, quin ut hanc ipsam sic etiam ea, quae ab Harpocratione aliena sunt, grammaticus a Pamphilo exscriptus non a vetusto auctore edoctus protulerit, sed ista quoque ipsius etymologiae causa addidit. cur autem, inquis, si res ita se habet, apud Pollucem haec non legimus, sed pro his alia? hac quoque in re adiutor nobis exsistit Photius, qui in illa glossa ita pergit: *Ἴστρος δὲ ἐν τοῖς Ἀττι-*

[108]) tertius ego eandem rem tractavi, quod Schoemann (Gr. Alt. I³ p. 501 sq. cum nota) quoque duo illa trigintavirorum genera etiamnunc commiscet.

κοῖς κ. τ. λ. quid igitur? postquam grammaticus ille, communis Hesychii Photii Harpocrationis auctor, illud munus breviter suis verbis exposuerat, attulit nihilominus Istri atthidographi de eadem re testimonium. at novimus Pamphilum eorum grammaticorum, inprimis Didymi, compilatorem fuisse, qui multa testimonia e veteribus auctoribus excerpta congesserant. nonne igitur illi etiam hoc loco alia testimonia addiderint Atthidum potissimum scriptorum eorumque qui de sacrificiis scripserunt? inter haec fuit etiam is locus, quem Harpocratio et Pollux receperunt. etymologiam vero, licet a talibus quales dixi scriptoribus non abhorruerit, recte nos ad grammaticum totius loci auctorem rettulisse bene, opinor, probat Pollucis mos [109]) nihil aliud nisi ipsius veteris auctoris verba omissis omnibus quae in fonte suo invenerat additamentis transscribentis. ceterum fortasse etiam Harpocratio in hac glossa ipsum Pamphilum usurpavit, cf. quae in fine huius libelli disserui. nunc de altera quoque Hesychii glossa (*κάθαρμα*), cuius ne lemma quidem cum Polluce consentit, recte poterimus iudicare. fuit enim vox *κάθαρμα* in hac significatione, si scholiastam Aristophanis [110]) audimus, comicorum propria. itaque non mirabimur, quod absit a Polluce pedestris sermonis auctorem exhibente, et totam Hesychii glossam ad comici cuiusdam locum referemus. — revera Hesychius cum Polluce dissentit in v. *ἱεροποιοί*. apud Pollucem enim (§ 107) de annuis, non de menstruis hieropoeis sermonem esse elucet, at Hesychius habet: *ἱεροποιοί*: *ἐπιμήνιοι*. tamen ne hoc quidem sententiae nostrae obstat. aut enim a Pamphilo duo genera hieropoeorum explicabantur (cf. Hesych. v. *γεραραί*) et apud Hesychium alterum

---

[109]) e multis unum exemplum apponam. v. *δήμαρχος* Hesychium cum Harp. communem fontem habuisse id demonstrat, quod demarchis, ad quos naucrarorum officia transierint, apud utrumque munus pignorum capiendorum tribuitur. Harpocratio auctores addidit Aristotelem et Aristophanem, in epitome Hesychiana desunt. sed ne Harpocratio quidem hic Aristotelem plenum servavit, attamen fecit alio loco v. *ναυκραρικά* quamquam nunc corrupto. priore loco ipsa oratio obliqua indicat eum Aristotelis testimonium integrum afferre noluisse. apud Pollucem § 108 solum Aristotelis testimonium legitur, reliqua omittuntur.

[110]) ad Acharn. 44.

intercidit aut, id quod mihi probabilius videtur, Pamphili locus e Hesychiano lexico prorsus sublatus est eique nova glossa, quam nunc legimus, successit. etenim si cum hac comparamus Hesych. *ἐπιμήνιοι*: *οἱ ἱεροποιοί. ἐκαλεῖτο δὲ καὶ κ. τ. λ.*, statim suspicio oboritur, hinc eam, de qua agimus, glossam fluxisse. certe saepe apud Hesychium glossam aliquam in alienum locum ita migrasse, ut, quod olim lemma fuit, nunc declaratio sit, quod antea declaratio, nunc lemma, iam dudum observatum est. idque etiam hoc loco factum esse non est veri dissimile. — aliud discrimen inter hos scriptores statuit Boeckh (Staatsh. I p. 242 sq.) de hellenotamiis: Pollucem (§ 114) reiecit, Hesychium probavit. sed nihilosetius, cum grammatici hunc magistratum alii aliter declarent, a Polluce nemo minus recedit quam Hesychius. noli enim cum Boeckhio apud Pollucem vocem *ἐκλέγοντες* premere (cf. Psellum ed. Boisson. p. 104 *καὶ τὸν φορολογοῦντα τὰ χρήματα ἑλληνοταμίαν ὠνόμαζον*; Thuc. I, 96 *οἳ ἐδέχοντο τὸν φόρον*). illud profecto Pollucis et Hesychii prorsus nihil intererat, utrum *τοῦ φόρου ταμίαι* scriberent an *τοὺς φόρους ἐκλέγοντες*. si in fine loci Pollux in errorem incidit, Hesychius eum non habet, hic certe eundem non evitavit nisi resecando.

Ut vero mea sententia consensu p a r t i s Pollucei loci et totius glossae Hesychianae confirmatur, ita eiusmodi locorum discrepantia ne tantillum quidem evertitur (nam poterat revera Pamphilus, vel quisquis post eum tales, quales supra descripsi, separatas glossas in illud lexicon inseruit, interdum alium fontem ad maiorem glossam, unde Pollux hausit, adhibere, alium ad minorem peculiarem), dummodo ne nimis multae huius generis glossae reperiantur. nec plures inveni quam tres. de prima (*κάθαρμα*) iam p. 101 locutus sum. altera est de funis rubricati in contione usu (Poll. § 104), ubi Pollux cum Photio, uterque cum schol. Arist. Acharn. 22 ita conspirat, ut de communi fonte dubitari non possit. Hesychii autem (*σχοινίον*: *τὸ μεμιλτωμένον ἔρραινον ὑπὲρ τοῦ σοβῆσαι* [adde *κατὰ*] *τὴν ἀγοράν, ὁπότε βραδύνοιεν ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν. καὶ ἐν τῇ νηῒ κ. τ. λ.*) etsi lemma ad illum Aristophanis locum pertinet, tamen explicatio, id quod editorem M. Schmidtium fugit, referenda est ad Aristoph. Eccles. 378 *καὶ δῆτα πολὺν ὁ μίλτος, ὦ Ζεῦ φίλτατε, Γέλων παρέσχεν*,

ἣν *προσέρραινον* κύκλῳ et ad schol. ad h. l. κατὰ γὰρ τὴν ἀγορὰν ἐσόβουν εἰς ἐκκλησίαν τοὺς Ἀθηναίους μεμίλτωμένῳ σχοινίῳ. illud igitur pro certo haberi potest non ex eodem fonte [111]) Pollucem Hesychiumque manasse. sed facillime apparet Hesychii glossam e commentarii (vel lexici) loco ad ipsum versum Eccles. 378 pertinente neque quidquam aliud nisi hunc locum explicante sumptam esse. in reliquis glossis, quae ad Pollucem de lexiarchis referri possunt (τριάκοντα et ληξιαρχικὸν γραμματεῖον), congruit Hesychius. — similiter fortasse res se habet, quamquam non tam aperte demonstrari potest, in Hesych. gl. ἀμφιορκίᾳ et Poll. § 122. Pollux enim videtur illa e longissima Pamphili glossa δικαστήρια Ἀθήνησι descripsisse, Hesychius de ἀμφιορκίᾳ peculiarem glossam praebet. est autem totus ille Pollucis locus e pluribus auctoribus conglutinatus. Pamphilus igitur ibi alium auctorem sequi poterat atque v. ἀμφιορκία. tamen iam in priore capite significavi mihi ipsam rem obscuriorem videri: quam ob causam ne id quidem ausim experiri, si forte alterius error e vera alterius sententia declarari possit.

Unum fortasse etiamnunc quispiam mihi obiciat: nos apud Pollucem duobus locis εἰσαγωγέων explicationem legere, § 93 et 101 [112]). itaque Pollux saltem duo lexica adhibuit? minime: contemplemur enim diligentius locum, ubi priores illi εἰσαγωγεῖς apparent. quae de novem archontibus enarrantur, universa ex Aristotele hausta sunt itemque paredrorum (cum scriba), hipparchorum, phylarchorum, taxiarchorum declarationes; de athlothetis nihil comperti habebamus. iam vero athlothetae reliquique usque ad taxiarchos eodem ordine explicantur, quo in § 87 leguntur. Aristotelem autem scimus ipsum singulis rebus statim explicationes addidisse. puto igitur Pollucem in lexico a se adhibito ea omnia

[111]) hoc Leop. Schmidt (Antiquitatum graecarum capita duo, Marburgi 1867, p. X) ad ipsos Pollucem Hesychiumque spectans censuit, sed non noverat schol. Arist. Eccles. num fortasse utrumque Aristophanis scholion eiusdem auctoris sit, de ea re nihil certius statui potest neque quidquam ad hanc quaestionem attinet.

[112]) nam hic quoque Bekker εἰσαγωγεῖς (pro ἐπαγωγεῖς) legit e codicibus suis, si quid e silentio eius conicere licet.

uno tenore et suo quidque loco exposita invenisse, quaecunque inde a § 85 usque ad § 94 (*ταξίαρχοι*) exstant, compluraque antea ab ipso omissa postea ita adiunxisse, ut fere glossarum speciem praebeant. quod posterius cadit etiam in locum de paredris, cum Aristotelem videamus ita scripsisse (sine dubio continuo post polemarchi munera exposita): *λαμβάνουσι δὲ καὶ* etc. ita etiam athlothetas Aristoteli libenter tribuemus. sed credamus eum etiam *εἰσαγωγέας* magistratum, qui nunquam exstitit, in librum suum induxisse? at profecto haec ipsa res omnem, si qua adhuc restabat, dubitationem tollet. si enim haec cum § 91 comparaverimus, apparebit, quam facile ex illis *διανέμει τὸ λαχὸν — εἰσάγων δὲ δίκας* (quae quamvis decurtata sint, etiamnunc aliis corruptelis laborare inter omnes constat) prave in Pollucis fonte exhibitis praveque (scil. *εἰσαγωγεύς* vox ibi legebatur) ab ipso intellectis novus iste magistratus evadere potuerit. quas ob causas, quae Rose p. 435 de fragmentis Aristotelis ab Harp. v. *στρατηγοί, Ἵππαρχος, φύλαρχος* servatis dubitanter suspicatus erat, ea de toto hoc Pollucis loco pro certo affirmare posse mihi videor. postremo nunc eius quoque rei poterimus causam proferre, cur strategos § 87 tam parce tangat, ut graves inde natae sint viris doctis difficultates, § 93 autem plane omittat. scilicet iam ipse in fonte suo non plura invenit. ita enim fere, quantum e fragmentis conici licet, Aristotelem scripsisse suspicari debemus: *καὶ ἀθλοθέτας* [adde *χειροτονεῖν* e sequentibus) *ἕνα κατὰ φυλὴν ἑκάστην, οἳ δοκιμασθέντες ἄρχουσιν* etc. (cf. Poll.), *καὶ στρατηγοὺς δέκα* (cf. Aristotelem apud Harp. v. *στρατηγοί*) *ἐξ ἁπάντων Ἀθηναίων* (tum breviter eorum officia tetigit), *καὶ ἱππάρχους δύο ἐξ ἁπάντων Ἀθηναίων, οἳ* etc. (cf. Phot. s. v. vel minus accurate disputantem Pollucem § 94), *καὶ φυλάρχους δέκα καὶ ταξιάρχους δέκα. οἱ δὲ φύλαρχοι εἷς κατὰ φυλὴν ἑκάστην τῶν ἱππέων προΐστανται ὑποτεταγμένοι τοῖς ἱππάρχοις* (cf. Harp.), *καθάπερ οἱ ταξίαρχοι, εἷς ἀφ᾽ ἑκάστης φυλῆς, τῶν ὁπλιτῶν* (cf. Phot. et Poll.). singulorum igitur magistratuum explicationes Pollux infra separatim posuit, strategorum quod ibi non exhibuit ac ne supra quidem iis idem quod ceteris addidit, mihi documento est ipsum iam verba illa mutilata legisse. nempe aut Pamphilus ob causam nescio quam consulto quaedam

omisit aut, quod probabilius est, in exemplo a Polluce adhibito complura interciderant. fortasse simul etiam verba *καὶ καθ' ἑκάστην — κρίνουσι* in alienam sedem migraverant. apparet igitur falsam fuisse Droysenii ratiocinationem[113]: quae enim singulis magistratibus praeter numerum addita Pollux legerat (e. g. *ἐξ ἁπάντων Ἀθηναίων* post *ἱππάρχους δύο*), ea infra separatim exhibuit; ubi nihil amplius invenerat (scil. tantum *στρατηγοὺς ἐξ ἁπάντων* reppererat), parvas illas reliquias suo loco non movit, cum, quae infra peculiari loco digna essent, non haberet. sed ut tandem eo revertamur, unde digressi sumus: priores *εἰσαγωγέας* sumpsit Pollux e Pamphili de novem archontibus loco, alteros ex ea lexici glossa, cuius restant reliquiae apud Hesych. v. *εἰσαγωγή*. licet plane idem statuere possimus de taxiarchis bis (§ 94 et 115) commemoratis — nam § 114 nihil huc facit — tamen ne alterum quidem locum ad glossam aliquam *ταξίαρχοι* rettulerim, sed cum potius eo spectet, ut vocabulum *παραστίζειν* explicetur, malo eum Hesychio duce glossae ab ipsa hac voce incipienti tribuere.

Perveni nunc ad finem opusculi mei, quo saepius lectores relegavi. extra omnem dubitationem positum est, quin Pamphilus ad componendum immensum suum et admirabile opus ingentique litterarum damno nunc deperditum plurium auctorum lexica et commentarios adhibuerit, inprimis Didymi. tamen observavi eum saltem in antiquitatibus Atticis etiam alius generis scriptore usum esse. pendet tota quaestio a voce *ἐπιστάτης*. unus hanc rem attigit Rose p. 438. sed cum eius disputatio longior sit, quam quae hic describatur, breviter eam comprehendam. e fine Hesychianae glossae *ἐπιστάτης* cum Harp. comparato intellegi Harpocrationea (et alia in ceteris lexicis) e Didymo repetenda esse. prima Hesychii Eustathio p. 1827 (quem locum infra ascribam) respondere, qui illo loco lexico usus sit Aristophanem comicum Callistratum Telephum Aristophanem grammaticum citante. ex eodem lexico separatim plures glossas *ἐπιστάτης* Suidam descripsisse. ipsum vero illud lexicon satis doctum

---

113) v. not. 8.

ex eadem lexicorum uberrima progenie fuisse, quae Didymi labori et Pamphilo debeatur. in hac Rosei disputatione vera sunt cum falsis mixta. ac primum Eustathius post Telephi locum descriptum ita pergit: *καὶ τοιαῦτα μὲν ταῦτα. ἕτεροι δὲ ἐπιστάτην φασὶ ξύλινόν τι κ. τ. λ.* hinc manifesto patet Eustathium post Telephi locum intercapedinem scribendi fecisse, tum de integro exorsum esse. atque ita revera res se habet. nam quae inde ab *ἕτεροι* sequuntur (ubi Callistratus laudatur), non ex eodem quo priora lexico, communi cum Suida fonte, descripta sunt, sed ex ipso Suida. quaeris, unde hoc sciam? Suidas (in quinta glossa *ἐπιστάτης*) illa non e lexico sumpsit neque omnino inde unde priora, sed, ut saepissime, e schol. Arist. (Av. 436). deinde constat Eustathium Suidam et addito nomine et omisso exscribere. posteriora igitur sunt Suidae. sed unde priora? Pollucem § 96 vidimus Aristotelem exhibere, sed eum in fine truncatum. compara nunc cum Polluce et Suidam [114]) et Telephum: invenies eos plane inter se conspirare, sed unumquemque Aristotelem aliter mutilatum praebere. nam habet Telephus, quae Polluci Suidaeque desunt [115]), Suidas, quae Polluci Telephoque, Pollux, quae Suidae. at conferas nunc totum Eustathii locum cum Hesychio et Harpocratione:

Eustathius	Hesychius	Harpocratio
ἐπιστάτην δὲ τὸν ἐπαίτην λέγει	*ἐπιστά-*	
νῦν παρὰ τὸ ἐφίστασθαι. οἱ	*της: ἐφέ-*	
δὲ παλαιοὶ τὴν λέξιν καὶ ἐπὶ παι-	*της ἢ*	
δαγωγοῦ καὶ παιδοτρίβου οἴδασι	*ἐπαί-*	
τεθεῖσθαι. ὁ δὲ τοιοῦτος καὶ ἐπι-	*της,*	
τιμητὴς ἂν λεχθείη ποτὲ κατὰ τὸ	*ἀπὸ*	
„ὡς οὐπιτιμητής γε τῶν ἔργων	*τοῦ ἐφ-*	

114) hic nunquam Pollucem (si forte in fine Pollucei loci lacunam esse suspicaris) adhibuit: de octavo saltem libro hoc certissimum est. vellem igitur exemplis demonstrasset C. F. Ranke, quod in libro suo „Pollux et Lucianus, Quedlinb. 1831“ p. 12 contendit „Suidam Pollucem saepe et multum usurpare.“

115) scilicet verba *ὃς ἐπιστατεῖ νύκτα καὶ ἡμέραν μίαν καὶ πλείω χρόνον οὐκ ἔξεστιν*, quae non ad imperatorum Romanorum aetatem pertinent, sed ad florentem Atheniensium rempublicam, cf. M. H. E. Meier, De epistatis Atheniens., Halae 1855, p. V.

βαρύς". καὶ γυμνασίου δέ, φασιν, ἐπιστάτης ὁ ἐπιμελητής. ἐνταῦθα δὲ μνηστέον τοῦ γραμματικοῦ Ἀριστοφάνους εἰπόντος οὕτω ῥητῶς· ἐπιστάτης ἐπὶ μόνου τοῦ χυτρόποδος δοκεῖ τοῖς πολλοῖς τάττεσθαι καὶ τοῦ μεταί(τη)του, ὡς παρ' Ὁμήρῳ. ἀγνοοῦσι δὲ ὅτι καὶ ὁ παιδοτρίβης οὕτω καλεῖται. τὸ δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων καθηγητῶν τάττειν οὔ φημι πάντως τὴν χρῆσιν δεικνύναι. προσενθυμητέον δὲ καὶ Τηλέφου τοῦ ὡς ἱστορεῖται Περγαμηνοῦ, ὅτι κατὰ τὴν ἐκείνου παράδοσιν νομική τις ἦν λέξις ἢ τεχνικὴ ἐν τοῖς μεθ' Ὅμηρον ὁ ἐπιστάτης. γίνεται γάρ, φησιν, ἐπιστάτης Ἀθήνησιν ἐκ τῶν πρυτάνεων εἷς, ὃς ἐπιστατεῖ νύκτα καὶ ἡμέραν μίαν, καὶ πλείω χρόνον οὐκ ἔξεστιν οὐδὲ δὶς τὸν αὐτὸν γενέσθαι. τάς τε κλεῖς [τῶν ἱερῶν], ἐν οἷς τὰ χρήματά εἰσι, φυλάττει καὶ τὰ γράμματα τῆς πόλεως καὶ τὴν δημοσίαν σφραγῖδα. κληροῖ δὲ καὶ προέδρους ἐξ ἑκάστης φυλῆς ἕνα πλὴν τῆς πρυτανευούσης καὶ πάλιν ἐκ τούτων ἐπιστάτην ἕνα. καὶ τοιαῦτα μὲν ταῦτα.

ἵστασθαι.

ἢ ἐπὶ [χυ]τρόπο[δο]ς ἢ διδάσκαλος καὶ ὁ τακτικός. καὶ ὁ βραβευτής. καὶ ἄρχων τις Ἀθήνησιν. [116]

καὶ ὁ ἐφεστηκώς.

ἐπιστάτης: Ἰσαῖος ἐν τῷ κατ' Ἐλπαγόρου καὶ Δημοφάνους. δύο εἰσὶν οἱ καθιστάμενοι ἐπιστάται, ὁ μὲν ἐκ τῶν πρυτάνεων κληρούμενος, ὁ δὲ ἐκ τῶν προέδρων, ὧν ἑκάτερος τίνα διοίκησιν διοικεῖ δεδήλωκεν ὁ Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ. ἐλέγετο δ' ἐν τοῖς κοινοῖς καὶ ὁ ἐφεστηκὼς πράγματι ὁτῳοῦν, ὡς Ὑπερείδης τε ἐν τῷ κατὰ Δημοσθένους καὶ Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος φανερὸν ποιοῦσιν.

[116]) sic enim olim a Pamphilo scriptum esse censeo, cum codex exhibeat: ἢ ἐπίτροπος. postea ut reliquae significationes sic haec quoque

Iam spero unumquemque concessurum esse apud Eustathium nos Pamphilum habere. si Eustathio quaedam Hesychiana desunt, si Hesychio quaedam Eustathiana, si praeterea quaedam non prorsus conspirant, hoc et grammaticis librariisve, qui certe multi inter Pamphilum et Eustathium atque inter Pamphilum Hesychiumque intercesserunt, tribuemus et ipsi Eustathio, quippe qui etiam Suidae locum non satis fideliter descripserit finemque glossae plane omiserit. quod autem Harpocratio Aristotelem citat, Eustathius Telephum, elucet Telephum non solum descripsisse Aristotelem sed etiam nomen eius addidisse. Harpocratio vero, ut mos fuit veterum grammaticorum, non eum laudavit, cui ipsum illud testimonium debebat, sed vana gloria commotus vetustiorem auctorem ab illo citatum. patet porro e mea disputatione Telephum, qui libros *περὶ τῶν Ἀθήνησι δικαστηρίων* et *περὶ τῶν Ἀθήνησι νόμων καὶ ἐθῶν* conscripsit, non ut vulgo credunt, Veri imperatoris praeceptorem fuisse. sed cum ante Pamphilum scripserit et secundum Suidam etiam librum *περὶ τοῦ ἐν Περγάμῳ Σεβαστίου* composuerit, necessario sequitur eum non ante extremos Caesaris Augusti annos floruisse, sed fere priore parte primi post Chr. n. saeculi. deinde quod ad Harpocrationem attinet, hic suam glossam aut e commentario ad oratores sumpsit, Didymi, si Roseum sequimur, unde totus locus in Pamphili lexicon transiit, aut Harpocratio ipsum Pamphilum inspexit. prius si statueremus, necesse esset iam Didymum Telephi librum citasse. quod tamen non crediderim cum ob Didymi Telephique aetatem tum quod *χαλκέντερος* ille sine dubio ipso Aristotele usus erat, Telepho non egebat. posteriori quid iusto iure opponi possit, non video. immo non immerito miraremur, si Harpocratio (vel eius auctor) sola scholia adhibuisset, ipsa lexica et inprimis Pamphili uberrimum opus ipsius labori commodissimum plane neglexisset. neque desunt alii loci, ubi egregius Harpocrationis et Hesychii consensus apparet. conferas e. g. Harp. *δήμαρχος* et *γεννῆται* cum Hesych.: intelleges quantopere omnia congruant.

---

nominativo exprimebatur, sed simul depravabatur. A. Nauck ad Aristoph. Byz. fragm. 67 not. 52 suspicatus erat: *ἢ χυτρόπους*.

Pamphilus igitur Telephum in lexico suo conscribendo adhibuit: itaque necesse est etiam Pollucem, qui Pamphilo usus sit, complura Telephi habere [117]). sed quae illa sint, nunc nos omnibus adiumentis destituti definire non possumus. ne id quidem, etsi non improbabile est, pro explorato est habendum Polluceam epistatae descriptionem per Telephum ex Aristotele fluxisse. nam Pollux uno tenore § 95—96 e Pamphili glossa *πρύτανις* transscripsit, Telephi fragmentum est glossae *ἐπιστάτης*. tamen si quid in tam incertis rebus suspicari licet, equidem suspicer eum locum, quem apud Pollucem ex Aristotele fluxisse certo scimus, sed non minus certum est a viro quodam satis docto et antiquitatis Atticae haud ignaro paululum immutatum esse (cf. *ἱεροποιοί*, fortasse etiam *τιμήματα*, ubi Pollux inter ea, quae Aristotelis esse satis constat, alia quaedam inserta habet nescio a quo prave expressa, quae reliqui grammatici et Plutarchus eundem Aristotelem secuti ad unum omnes ignorant) [118]), tales igitur locos rettulerim ad Telephum Pergamenum.

---

[117]) alterum eius, quod adhuc exstat, fragmentum (schol. Arist. Plut. 725) apud Pollucem, qui § 54 sq. uberius de sacramentis agit, non legitur.

[118]) cum illa scriberem, quae p. 8 sq. leguntur, arbitrabar etiam in Pollucea *ἀνακρίσεως* formula verba Aristotelis a grammatico quodam erudito (Telepho) mutata esse. nunc aliter sentio. puto enim Polluceae formulae omnino non eam, quam ex Aristotele servavit lexicon Cantab., quasi fundamentum fuisse, sed Pollucem ipsam illam antiquam formulam integram praebere, qua ante Aristidem Athenienses utebantur. nam ea, quae consentiunt in lexico Cantab. et apud Pollucem, haud dubie semper in illa formula inerant, cum, quod in his verbis mutarent, certe usque ad Aristotelis aetatem Athenienses nihil haberent. nihilominus autem etiamnunc illud retineo, quod in initio huius libelli Roseo assentiens censui: Polluceam archontum descriptionem totam ex Aristotele manasse. nam ut suae aetatis formulam, ita haud dubie etiam antiquam illam in politia sua Atheniensium memoriae prodiderat Aristoteles, quem antiqua instrumenta tabulas formulas summo studio perscrutatum esse nemo nescit. ceterum cave credas ex ea re quidquam effici posse, quod Pollux inde ab *ἐκαλεῖτο δέ τις θεσμοθετῶν ἀνάκρισις* usque ad *μυρρίνῃ δὲ ἐστεφάνωντο*, ubi certe Bekkero maiore interpunctione distinguendum erat, praeterito, in reliqua archontum descriptione praesenti tempore utitur. hoc enim videtur soli Pollucis inconstantiae assignandum esse, qui per totum librum tempora ab auctoribus adhibita nihil curabat, sed ad suum arbitrium modo praesens modo praeteritum ponebat (e. g. prae-

Vidimus in publicis Atheniensium antiquitatibus Pollucem ex eodem Pamphilo hausisse, ex quo Hesychium pendere pro explorato habeo. deinde multas Photii glossas a Diogeniano Pamphilei lexici breviatore repetendas esse scimus, cum Photius persaepe aut ipsum Diogenianum aut compilatores eius Pausaniam Dionysiumque Halicarnasensem usurpaverit. itaque Pollux et Hesychius cumque his haud raro etiam Photius unam Pamphili memoriam referunt nec pro tribus testibus sunt habendi sed pro uno. iam ubi plane inter se conspirant, ipsum Pamphilum habemus nec reconcinnanda demum eius testimonia nobis erunt; ubi inter se differunt ita quidem, ut in ipsa differentia communem originem agnoscant, aut, si alius alio plura refert, invicem se supplent, aut, si in ipsis rebus dissentiunt, huius dissensionis causa aperienda et vera genuinaque Pamphili[119]) memoria refingenda erit.

---

sentibus per §§ 87—96 usurpatis immiscentur praeterita *ἐχρῆν* § 92 et *εἰσήγαγον* § 93; de *ἀντιγραφεῖ* imperfectis utitur Pollux, cum praesens et praecedat et insequatur). quare e temporis mutatione ne ad formulam quidem Polluceam ad antiquiorem aetatem referendam quidquam argumenti sumere volo, cum praesertim illa *ἐκαλεῖτο δέ τις θεσμοθετῶν ἀνάκρισις*, *εἰ* ita sint comparata, ut hoc loco auctoris verba etiam gravius quam alibi a Polluce immutata esse videantur. *τις* vero, quod Pollux scripsit, non sine probabilitate pro indicio haberi potest eius auctorem non solam hanc *ἀνακρίσεως* formulam exhibuisse.

[119]) brevitatis causa fere ubique solum Pamphilum nominavi, etsi litteras *α—δ* Zopyrioni deberi constat.

Index

Corrigenda

pag. 6 v. 3 dele comma
„ 7 „ 17 lege: comperisse
„ 14 „ 4 pro ἐπα- lege: εἰσα-
„ 22 „ 6 „ ut „ ne
„ 30 „ 26 lege: ἐνδέκατος (sic)
„ 32 „ 18 pro ς lege: ?
„ 64 adn. 70 v. 15 lege: καὶ
„ 67 v. 9 lege: τις ἐπ' ἀκουσίῳ

Typis Grassii, Barthii et Soc. (W. Friedrich).